DE AMMIANI MARCELLINI DIGRESSIONIBUS

QUÆ AD EXTERNAS GENTES PERTINEANT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

ARTHUR MALOTET

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

NUNC IN GYMNASIO VALENTIANENSI HISTORIÆ PROFESSOR

EDEBAT PARISIIS

ERNEST LEROUX

28, VIÂ BONAPARTE, 28

—

MDCCCXCVIII

DE AMMIANI MARCELLINI DIGRESSIONIBUS

QUÆ AD EXTERNAS GENTES PERTINEANT

DOCTISSIMO ET ILLUSTRISSIMO VIRO,

MARCEL DUBOIS

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI

Hoc opusculum grato et reverenti animo dicabat

A. M.

PROŒMIUM

Hanc quæstionem omnino dignam esse ad quam studia nostra convertamus, nonnullis argumentis operæ pretium est comprobare.

Ammianus a proposito sæpius deflectit ut non tantum locorum descriptioni quam topographiam vocamus, sed gentium quoque, origini, moribus, institutis incumbat. Quæ vero ejus digressiones ad terras pertineant, jam satis erudite tractatæ fuerunt a nonnullis doctissimis viris ex quibus notissimi sunt inter recentiores Gardthausenius ac Mommsenius[1]; quæ autem ad gentes pertineant neglectæ fuisse mihi videntur.

Quapropter, ne velut tiro inter veteranos incedam, has accuratiore disputatione indigentes pro virili parte atque separatim me pertracturum esse existimavi.

Præterea, res ipsa, ad alteram quæstionem perscrutan-

1. *Die geographischen Quellen Ammians*, Leipzig, 1873; *Hermes*, t. XVI; Christophe, *Géographie d'Ammien Marcellin*, Lyon, 1879; Desjardins, *Géographie de la Gaule romaine*, t. III, 1885, Paris, p. 464-477.

dam, ad alteram autem in medio relinquendam me invitabat. Etenim quales Ammianus descripsit, fere tales terras etiamnunc intueri licet; gentes autem in omni omnium ætatum serie ita commixtæ fuerunt, ut quales depinxerit, eas in recentioribus populis] agnoscere difficile sit. Itaque opinor, quæ de gentibus scripta sunt, ea majoris pretii esse quam quæ ad terras pertineant.

Accedit illud quod hæ digressiones non minus mira jucunditate varietateque commendant, neque minus aperte ac fortasse magis illustrant Ammianeam narrationem bellorum quæ Romani eo tempore cum haud paucis populis feris in imperii fines irruentibus gesserunt. Quem finem Ammianus, ut ex nonnullis sui libri locis perspici potest, sibi proposuit[1]. Qua in re vel Sallustii[2], vel Taciti rationem secutus esse mihi videtur.

Quod vero in hoc opere suscipiendo propositum habuerim, lectoribus quærentibus hoc respondebo : præcipue omni ope atque opera me eniti ut reperiam quæ ex variis libris et ex quibus scriptoribus hauserit Noster. Namque, his omissis, quantum ejus ingenio sit tribuendum, nequeat æstimari. Quibus in indagandis, quam multæ difficultates superandæ fuerint, quantum laboris insumptum sit, intelligent ii qui jam aggressi sunt hoc studiorum genus. Equidem lubens fateor hujus laboris magna adjumenta fuisse eas præclaras et utilissimas lucubrationes quas ad geographicos

1. XV, 1, 1 : « Tunc enim laudanda est brevitas cum moras rumpens intempestivas nihil subtrahit cognitioni gestorum. » XV, 9, 1 : «... Galliarum tractus et situm ostendere puto nunc tempestivum, ne inter procinctus ardentes prœliorumque varios casus ignota quibusdam expediens imitari videar desides nauticos, adtrita lintea cum rudentibus, quæ licuit parari securius, inter fluctus resarcire coactos et tempestates... ». XXIII, 6, 1 : « Quisquis enim adfectat nimiam brevitatem ubi narrantur incognita : non quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri, scrutatur. »

Confer Bunbury, *History of ancient geography*, vol. I, p. 679 et suiv.

2. *Hermes*, XVI, p. 602, 634, 635.

Ammiani fontes illustrandos Gardthausenius et Mommsenius nuper composuerunt. Id autem non est obliviscendum, caute mihi fuisse progrediendum in his perlegendis. Nam uterque de iis locis qui ad terras spectant, plerumque disceptavit; mihi vero illi perpendendi fuerunt qui ad gentes spectant. Itaque non dubitavi evolvere permultos scriptores a Gardthausenio ac Mommsenio quidem non indicatos, sed qui in his locis pertractari potuissent.

Notis, quantum id a me præstari potuit, plerisque eorum quos adhibuerit Ammianus, et quæ ex his deprompta sint, conjectura expeditius consecutus sum quid de suo adjecerit. Quod cum inquirerem, suffultus sum non modo aliquot sententiis quas docti viri jam nominati enuntiaverunt, sed etiam iis indiciis haud spernendis quæ in Ammiani vita atque libro reperire licet. Hæc autem non mihi satis fuerunt, ut patefacerem rerum copiam atque varietatem quibus gentes descripserit. Quod ut innotescat, necesse fuit in auxilium vocarem priores scriptores in quibus agitur de iisdem gentibus, atque his perlectis, quid jam esset antea notum, quid non, statuerem. Eadem ratione, quæ in ejus digressionibus desideranda essent, explanare eo magis in promptu fuit, quo recentiorum commentarios ac varia opera accuratius percensuerim. Quare contuli atque testes excitavi locupletissimos auctores qui hac nostra ætate in iisdem rebus operam posuerunt.

Mihi vero hoc opusculum aggredienti non satis visum est ad legentium animos delectandos, quid ex ceteris scriptoribus hauserit, quid e suopte ingenio invenerit, in lucem producere, sed quæ ei fides adhibenda sit, diligenti studio inquirendum quoque. Cujus tamen laboris quodcumque sit, non sane meum prædicaverim; plurimum autem deberi lubens profitebor, tum Ammiani interpretibus, tum eruditis viris qui nostra ætate ad antiquas gentes cognoscendas

contulerunt sua studia. Denique, cum materiem absolute tractare propositum habuissem, navavi operam ut illustrarem quem locum tenuerit Ammianus inter eos scriptores qui in eadem re versati sunt.

Ex his perspici potest quam rationem secutus sim in hoc libro componendo, et quæ reperienda explanandaque curaverim. Utinam in aprico protulerim eruditionem ac doctrinam quas in suis digressibus adhibuerit Ammianus! Utinam quo acumine gentes inspexerit et notaverit, qua fide, qua auctoritate depinxerit, apertiùs explicaverim! Quodcumque evenerit, id haud minime me delectaverit, si quid vel exiguum prioribus adjecerim.

INDEX
AUCTORUM ET OPERUM LAUDATORUM

D'Anville, *Notice sur l'ancienne Gaule*, in-4°, Paris, 1760.

D'Arbois de Jubainville, *Les premiers habitants de l'Europe*, Paris, 1877.

Auerbach, *Quid Strabo sibi voluerit*, thesis, Parisiis.

Belloguet, *Ethnogénie gauloise*, Paris, 1872.

Boissier, *La fin du paganisme*.

Bunbury, *History of ancient geography*, London, 1879.

J. Darmesteter, *Études iraniennes*, Paris, 1882.

Diefenbach, *Origines Europææ, Die alten Völker Europas*, Francfurt am Mein, 1861.

M. Dubois, *Examen de la géographie de Strabon*, Paris, 1891.

Fustel de Coulanges, *L'Empire romain, les Germains, la royauté mérovingienne*, 1875; *La Gaule romaine*, 1891; *L'Invasion germanique et la fin de l'Empire*, édition Jullian, 1891, Paris.

Gardthausen, *Die geographischen Quellen Ammians, Habilitationsschrift*, Leipzig, 1873; *Ammiani Marcellini rerum gestarum libri qui supersunt*, Lipsiæ, 1875.

Gimazane, *Ammien Marcellin : sa vie et son œuvre*, thèse, 1889, Toulouse.

Hertz, *Index scholarum : De Ammiani studiis Sallustianis*, Vratislaviæ, 1874.

Hugo Michael, *De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis*, Vratislaviæ, 1874.

Jahn, *Die Geschichte der Burgundionen*, Halle, 1874.

Khanikoff (Nicolas de), *Mémoire sur l'ethnographie de la Perse*, 1866, Paris.

Mommsen, *Hermes, Zeitschrift für classische Philologie*, Berlin, t. VIII et XVI, 1881; *Ammiani geographica*; *Solini collectanea*, 1864 et 1895.

Müllenhoff, *Deutsche Altertumskunde*, Berol., 1892.

Ad. Schmidt, *De fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis... susceptis*, Berol., 1834 (*Abhandlungen zur alten Geschichte*, Leipzig, 1888).

Wagner, *Commentarius in Ammianum*, ed. Erfürdt, *Ammiani Marcellini quæ supersunt*, Lipsiæ, 1808.

Vivien de Saint-Martin, *Études de géographie ancienne et d'ethnographie asiatique*, Paris, 1853; *Histoire de la géographie*, Paris, 1875.

CAPUT PRIMUM

Quid et ex quibus auctoribus hauserit Ammianus.

Quod primum in promptu est cuivi inquirenti ex quibus fontibus quidam scriptor sua hauserit, est in ejus opere indagare indicia scriptorum quos perlustraverit. Quæ apud Ammianum non minus rara sunt, in his saltem quæ ad externas gentes spectant, quam apud plerosque veteres. Hic enim in iis tantum locis, ubi vel suam eruditionem ostentare, vel in cujusdam auctoritate niti vult, eos scriptores quibus usus est, mea sententia, nominatim afferre solet. Ceteros autem omittit, sive usque ad tædium nomina dictitare nolit, sive ad rem nihil pertinere existimet. Hæc igitur, nobis indagantibus quos auctores secutus sit, non pro certis indiciis habenda sunt. Nam, si in eos tantum inspiciamus quos nominatim attulerit, multos alios scriptores in quibus studia collocaverit, ignorare possimus.

Ad hoc accedit quod non est obliviscendum, Ammianum, utpote qui natione græcus esset, atque græcis litteris imbutus, græcos auctores suo in libro sæpius laudavisse. Multi sunt ii quorum memorantur sententiæ vel dicta : Anaxagoras, Anaximander, Bacchylides, Democritus, Demosthenes, Epicurus, Eratosthenes, Gorgias, Hecatæus, Heraclitus, Hermapion, Herodotus, Homerus, Isocrates, Plato, Ptolemæus, Simonides, Thucydides, Timagenes, Tisias[1], etc. Necnon quæ

1. Hugo Michael, *De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis*, Vratislaviæ, 1874, p. 1 et 2.

narravit, ea velut Græcum se narrasse ipse prædicat : « Hæc, ut miles quondam et Græcus, inquit, a principatu Cæsaris Nervæ exorsus ad usque Valentis interitum pro virium explicavi mensura[1]. » Ex quo fieri potuit, ut Noster, quanquam de quibusdam auctoribus fortasse nihil nisi nomina comperta habuit, tamen ab aliis nonnulla assumeret, ad hos locos componendos ubi de externis gentibus verba fecit.

Eodem modo, cuique ejus opus evolventi, primo quasi aspectu, Ammianum in latinis litteris versatum præclarosque scriptores novisse erit manifestum. Quod affirmatur, non tantum haud paucis poetarum flosculis quibus narrationem exornat suam, sed etiam multis verbis et sententiis quæ reliquorum auctorum, Catonis, Sallustii, Livii, Ciceronis, Taciti, A. Gellii lectione didicit libroque suo inseruit[2]. Quibus impellimur ut suspicemur illum ex eorum scriptorum nonnullis quædam petiisse in his digressionibus quæ nobis illustrandæ sunt.

Postremum nobis quærendum est utrum rerum scriptoribus, an geographis sæpius usus sit. Cum vero ipse rerum scriptor esset, ex hujus generis scriptoribus, ut probabile nobis videtur, permulta hausit, quippe qui continuæ narrationi geographicas digressiones inserere soleant. Cum autem suo in libro nonnullos geographos laudaverit nominatim, nobis quoque augurari licet eos excussos fuisse quorum scripta ad rem maxime spectarent. Ex quo tamen nihil certi colligi potest. Namque satis convenit eum valde quidem eruditum suam doctrinam ostentandi studio sæpius indulsisse[3]. Quare nobis non dubium est quin ipse, quanquam præcipue ad historica opera perlegenda sese applicare potuit, tamen neque carmina, neque orationes philosophorumque lucubrationes, in quibus de externis gentibus sententias vel dicta sperabat reperire, neglexerit.

1. XXXI, 16, 9.

2. Hertz, *Index scholarum* : *De Ammiani studiis Sallustianis*, 1874, p. 3 et seq.; Hugo Michael, *De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis*, Vratislaviæ, 1874, p. 6 et seq.

3. *Ibid.*, Hertz, p. 6 ; Michael, p. 6.

His perpensis, jam adducimur ut opinemur eum multos ac varios trivisse libros, ex quibus memoratu digna vel ad suum consilium idonea excerpserit.

Attamen Gardthausenius, vir quidem eruditissimus, in hoc opusculo, ubi de geographicis Ammiani fontibus disseruit, ex quodam ignoti geographi opere, quod schematicam geographiam vocat, haud pauca esse petita contendit[1]. Cui si credere velis, Ammianus non illos auctores quibuscum congruit, sed tantum hunc geographum qui ex eorum libris excerpta collegerit, plerumque adhibuit.

Qua de re Mommsenius, vir non minus eruditus ac sano judicio præditus, non idem sentit. Negat enim eam Gardthausenii conjecturam in auxilium esse vocandam ut Ammiani Marcellini geographici fontes dilucide aperiantur : putat Ammianum non adscribendum hujusmodi scriptoribus qui ad opera componenda fere uno libro utantur, sed iis qui complures evolvant. Quam in sententiam eo magis eundum esse existimo, quod his supra disputatis ea jam comprobata esse videtur.

Itaque, quod hic vir doctissimus de geographicis fontibus in universum asseveravit, id de his quos separatim inquiro, non temere, conjici potest.

Ex quo satis liquet quæ ratio mihi assumenda sit, ut fontes reperirem e quibus usus sit Ammianus in his digressionibus ubi gentes descripsit. Percensendi mihi fuerunt, non tantum ii auctores quos nominavit, aut quos ut perlegeret, origine, educatione, studiis, suscepti operis genere adductus est, sed etiam complures quos omisit. Præterea, qui gentes descripserunt, ut cuique aut ad vera aut ad ficta pronum fuit ingenium atque plus minusve facultatis curæque ad conspicua perspicienda, indaganda, notanda, diversa tradiderunt. Quamobrem, si quis locus ex Ammiani digressionibus mihi occurrat ad quemdam scriptorem neque ad alium referendus, hunc ex hujus libro oriundum habere liceat. Quod si vero quemdam locum cum nullo ceterorum scriptorum congruen-

1. *Die geographischen Quellen Ammians*, p. 6 et seq.

tem inveniam, mihi inquirendum erit utrum adstrictiorem cognationem, vel in verbis, vel in sententiis, cum alio quam cum aliis præ se ferat, an ex intermedio scriptore petitum sit. Sed me non fallit, quam difficile sit omnes invenire quos tractavit Ammianus. Quod tantummodo ii assequi possunt, qui eadem lectionis copia valent. Itaque Mommsenio assentior, qui haud pauca non ad certos fontes referri posse fatetur[1].

Plerisque autem scriptorum qui cum Marcellino consentiunt, notis, quis ordo in his recensendis mihi tenendus est? Certe, quos præcipue adhibuerit, neque ad duos aut tres auctores redigendos esse, neque rerum scriptores a geographis aut ab oratoribus poetisque distinguendos esse arbitror. Nam, ut supra vidimus, nullam hujusmodi rationem secutus est Noster : compluribus vero libris perlectis, quæ aucupatus erat suoque consilio apta esse putabat, ea ad suam eruditionem ostentandam[2], oblata occasione, gestarum rerum narrationi præponere solebat.

Si autem in quem incidisset, qui de iis quæ erat tractaturus, maxime æstimanda scripsisse sibi videbatur, ei, ut suspicor, se fere totum dabat, atque cum eo ceteris comparatis, quæ omissa erant, supplere studebat.

Quibus de causis, multo magis componendi rationi qua Ammianus uti solebat, convenire hunc ordinem censeo, videlicet : primum, de scriptoribus quos duces habuerit : deinde, de iis quibus interdum usus sit.

Qua in recensione, quantum res sineret, quemque auctorem in eo loco quem requirebat temporum ordo, ponendum esse existimavi.

I.

Ex iis quos duces habuerit Ammianus, primum afferendus

1. *Hermes*, XVI, p. 602 et 603.
2. Hertz, *loc. cit.*, p. 6; Hugo Michael, *loc. cit.*, p. 6.

est Herodotus. Is enim, quanquam uno loco laudatus est[1], tamen compluribus locis est pertractatus. Quod jam senties, si intueberis quæ uterque de prisca Ægyptiorum religione protulit[2].

Præterea, auctor est Mommsenius Ammianum nonnulla ex Herodoto hausisse in Persarum descriptione[3]. Etenim inter se congruunt quæ de Persarum moribus apud Ammianum et priorem rerum scriptorem legimus :

Herod., I, 135.	Amm., XXIII, 6, 76.
Γαμέουσι δ'ἕκαστος αὐτῶν πολλὰς μὲν κουριδίας γυναῖκας, πολλῷ δ'ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτέονται.	pro opibus quisque adsciscens matrimonia plura vel pauca.

Eumdem auctorem in auxilium vocavit Marcellinus noster in hoc loco ubi de Magis agitur. Quod te non fugiat, si quæ subjecimus accurate consideres :

Herod., I, 132, éd. Dindorf.	Amm., XXIII, 6, 36.
ἄνευ γὰρ δὴ Μάγου οὔ σφι νόμος ἐστὶ θυσίας ποιέεσθαι.	Eratque piaculum aras adire vel hostiam.

Sed in primis cum his quæ de Massagetarum sacris tradidit Herodotus, conveniunt ea quæ de Halanorum sacris Noster scripsit[4] :

IV, 67.	XXXI, 2, 24.
ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ διεξελίσσουσι αὐτούς, καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες θεσπίζουσι. . .	Futura miro præsagiunt modo. Nam rectiores virgas vimineas colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, aperte quod portendatur, norunt.

Nihilominus alius locus, ubi de eodem populo locutus est, reperiri potest quem ad Herodotum referre dubito. Marcellinus enim eo loco non modo cum hoc græco rerum scriptore, sed etiam cum Strabone aliquid similitudinis præ se fert. Conferas :

1. XXII, 15, 28.
2. Confer Herodotum, II, 4 et 58; Amm., XXII, 16, 20 : « hic primum homines longe ante alios ad varia religionum incunabula, ut dicitur, pervenerunt ».
3. *Hermes*, XVI, p. 617.
4. Cf. Grote, *Histoire de la Grèce*, trad. fr. Sadous, 1866, p. 137, note 1.

Herod., I, 216.	Amm., XXXI, 2, 18.	Strabo, XI, 8, 6, ed. Müller.
τῆς γὰρ ἐπιθυμήσει γυναικὸς Μασσαγέτης ἀνὴρ, τὸν φαρετρεῶνα ἀποκρεμάσας πρὸ τῆς ἁμάξης μίσγεται ἀδεῶς.	(Halani, veteres Massagetæ) velut carpentis civitates impositas vehunt maresque supra cum feminis coeunt.	. . . χρῶνται δὲ καὶ ταῖς ἀλλήλων οὐκ ἀφανῶς, ὁ δὲ μιγνύμενος τῇ ἀλλοτρίᾳ, τὴν φαρέτραν ἐξαρτήσας ἐκ τῆς ἁμάξης, φανερῶς μίγνυται.

Gardthausenius autem nonnullique viri eruditissimi[1] Strabonis geographiam in manu habuisse Ammianum negant. Hoc opus enim putant tantum media ætate ad posteros pervenisse. Addendum est quod nullo loco Strabonem laudavit Noster. Ex quo fit ut dubitare liceat quin eum adhibuerit.

Satis autem constat haud pauca ex Eratosthenicis scriptis Strabonem mutuatum esse[2]. Quæ scripta etiam sapiunt ejusdem auctoris libri ubi adhibiti scriptores nominatim non fuerunt allati. Neque vero in Ammiani opere desunt loci qui Eratosthenicam originem præ se ferunt. Testis ille locus in quo Eratosthenes ipse nominatur (XXII, 8, 10). Quod me impellit ut censeam ea Ammianea supra allata ad nullum auctorem esse referenda, nisi ad Eratosthenem ipsum.

Ex eodem auctore fluere possunt hi Nostri loci qui ad Sarmatas pertinent, necnon cum Strabonianis congruunt :

Strab., VII, 4, 8.	Amm., XVII, 12, 2.
Ἴδιον δὲ τοῦ Σκυθικοῦ καὶ τοῦ Σαρματικοῦ παντὸς ἔθνους τὸ τοὺς ἵππους ἐκτέμνειν εὐπειθείας χάριν·	Equorumque plurimi ex usu castrati, ne aut feminarum visu exagitati raptentur aut in subsidiis ferocientes prodant hinnitu densiore victores.

Neque a Gardthausenio dissentio qui ex eodem fonte desumpta habet quæ Ammianus de Parthis commemoravit. Fatendum est quidem Nostrum cum Strabone consentire his locis subjectis :

1. Confer, *Die Geogr.*, p. 57; Geffroy, *Rome et les barbares; étude sur la « Germanie » de Tacite*, p. 87, Paris, 1877; Reinaud, *Relations politiques et commerciales de l'Empire romain avec l'Asie orientale*, p. 76, 1863.
2. Confer M. Dubois, *Examen de la géographie de Strabon*, Intr , p. 30.

Strab., XI, 8, 6.	Amm., XXXI, 2, 22.
θάνατος δὲ νομίζεται παρ'αὐτοῖς ἄριστος, ὅταν.	ita illos pericula juvant et bella. Judicatur ibi beatus, qui in prœlio profuderit animam,
τοὺς δὲ νόσῳ θανόντας ῥίπτουσιν, ὡς ἀσεβεῖς.	senescentes enim et fortuitis mortibus mundo digressos, ut degeneres et ignavos conviciis atrocibus insectantur.

Non est tamen obliviscendum (quod tibi planum erit, si græci geographi contextum attentius intueberis) Straboniana ad hunc locum spectare ubi Eratosthenes ipse fuit laudatus[1]. His igitur adducimur ut, alia a Strabone, alia ab Ammiano, hausta esse ex Eratosthene, communi utriusque fonte, statuamus.

Attamen non ita res se habet de nonnullis Ammiani locis ad Gallos pertinentibus quos a Strabonianis non discrepare perspici potest ex hac collatione[2] :

Strab., IV, 4, 4.	Amm., XV, 9, 8,
τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί, Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι.	Studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos et Euhages et Drasidas.
Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί,	Et Bardi fortia virorum illustrium facta.... cantitarunt.
Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι,	Euhages vero scrutantes seriem et sublimia naturæ pandere conabantur.
Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι	inter eos Drasidæ... quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti et despectantes humana
. . . ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχάς.	pronuntiarunt animas immortales.

Strab., IV, 4, 6.	Amm., XV, 12, 1.
καὶ τοῦτο δὲ τῶν θρυλουμένων ἐστίν, ὅτι πάντες Κελτοὶ φιλόνεικοί τέ εἰσι, ...	avidi jurgiorum et sublatius insolentes.

Quæ omnia unice ad Europæos Gallos spectare liquet. Satis

1. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 36-40.
2. Confer Belloguet, *Glossaire gaulois*, Paris, 1872, p. 203.

autem convenit, Eratosthenis ætate, Europæam Galliam plerumque Celticam appellari potius quam Galaticam. Necnon tunc Græci rerum scriptores occidentales Europæ gentes suis in libris componendis negligere solebant. Denique asseverat Strabo Eratosthenem Gallicarum rerum plane fuisse ignarum. Unde argumentum sumere possum ut contendam ambiguum titulum Γαλάτικα qui Eratosthenicis scriptis inscribitur, non ad Europæos Gallos, sed ad Gallo-Græcos esse referendum[1], neque in his locis quos supra attuli, Eratosthenem fontem esse habendum ex quo sua hauserint Strabo et Marcellinus noster.

Quem fontem esse Timagenem probabilius esse mihi videtur. Nemo est enim quin persuasum habeat Ammianum, quæ de Gallorum origine retulit, ea ex eo scriptore deprompsisse. Nam liquet ex hujus testimonio « cujus fidem secuti obscuritate dimota, eadem distincte docebimus et aperte » (XV, 9, 2). Quid vero opus adhibuerit, dijudicare difficile est. Nihil enim indicii in suo libro reliquit, quod in certam sententiam me inducere possit. Attamen si Gardthausenii opinionem sequi velis, hæc relata ex quodam geographico opere arcessivit Noster in quo Timagenes res a Gallis gestas tradiderit[2]. Neque ab eo dissentit Mommsenius utpote qui Ammianum, non ab historico, sed a geographico opere quod totius maris Periplum a Timagene compositum esse suspicatur, sua mutuatum esse enuntiaverit[3].

Quam in sententiam eo libentius discedam quod hunc Timagenis librum, non modo in geographicis Ammiani digressionibus, sed etiam in Strabonis geographia adhibitum esse censeo[4]. Enimvero, quæ de Gallorum origine narravit Marcellinus noster ex Timagene desumpta esse constat. Hi autem

1. Confer Ad. Schmidt, *De fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis susceptis*, Berol., 1834, p. 14 (*Abhandlungen zur alten Geschichte*, Leipzig, 1888).

2. Cf. *Die geographischen Quellen Ammians*, p. 41 et suiv.

3. Cf. *Hermes*, XVI, p. 625.

4. Cf. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 41 et suiv.

loci Ammianei supra allati qui ad Gallorum sacerdotes, vates, indolem spectant, his narratis adhærent. Unde conjectura consequi possumus hos locos ex eodem auctore esse petitos. Contra vero liquet, quæ de eadem re scripsit Strabo, ea non minus recte quam Ammianea ad Europæos Gallos esse referenda[1]. Præterea hæc utriusque supra collata aliquo cognationis vinculo esse conjuncta videntur. Ex quo fit ut probabile sit Strabonem . Timagene communi auctore usum esse.

Quod si quis objiciat, eos locos quibuscum Ammianei conveniunt non ex Timagene sed ex Posidonio qui priore ætate Galliam descripserat, assumpsisse Strabonem[2], non est causa cur difficilius explanem eam cognationem quam inter Nostrum et Strabonem deprehendi. Namque fieri potuit ut Timagenes, quanquam in primis Callisthenem compilavisse videtur[3], tamen ipse Posidonium in manu habuerit, ita ut in utraque re Strabonem et Ammianum communi fonte sua hausisse verisimile sit. Sed id definiri nequit.

In Ptolemæo legendo eumdem studia collocasse opinor. Quod ipsius auctoris testimonio, in hoc loco ubi hunc geographum nominatim attulit, confirmatur[4]. Attamen aliam opinionem esse Gardthausenio non est dissimulandum. Is enim Ptolemæi geographiam putat non ab Ammiano ipso fuisse usurpatam. Cui si credere velis, ita mutata atque inusitata sunt nomina ut græcis litteris erudito atque græcum exemplar transcribenti viro non sint tribuenda, sed quod hæc mutata in quibusdam scriptis a græco opere in latinum conversis reperiuntur, ex eo auguratur Ammianum aliqua provinciarum enumeratione ex Ptolemæo excerpta atque in latinam linguam conversa usum esse[5].

1. Cf. Schmidt, *loc. cit.*, p. 9 et 10. Confer quoque Strab., VII, 1.
2. Confer M. Dubois, *Examen de la géographie de Strabon* : « Strabon s'est largement servi de Posidonius », p. 323; Mommsen, *Hermes*, XVI, p. 621; Gimazane, *Ammien Marcellin : sa vie et son œuvre*, Toulouse, 1889, p 212.
3. Schmidt, *loc. cit.*, p. 9.
4. XXII, 8, 10.
5. *Loc. cit.*, p. 18 et 19.

Hoc autem jure confutat Mommsenius contendens Ammianeos locos cum Ptolemæanis adeo consentire ut ea conjectura non opus sit; sed (quod Valesius et Accursius jam edocuerunt) Nostrum ipsum græcum geographum perlegisse[1]. Cujus vestigia tam perspicua sunt in iis locis ubi complurium populorum nomina finesque protulit[2], ut non dubitari possit, quin ipse ejus librum in manu habuerit. Conferas enim quæ apud utrumque leguntur de Scytharum, Serum, Saracenorum finibus :

Ptolemæus, ed. C. Müller, 1883, Parisiis.	Ammianus,
6, 16, 15.	**XXIII, 6, 66.**
ἀνατολικώτεροι τῶν Ἀννίβων Ῥαβάνναι.	... Incolunt... et Annibi... Exortum vero solis suspiciunt Rabannæ...
5, 9, 1.	**XXII, 8, 29.**
ἡ Σαρματία περιορίζεται. . . . τῷ Ταναΐδι ποταμῷ.	... Ultra Tanaïm panduntur in latitudinem Sauromatæ
3, 5, 2.	**XXII, 8, 38.**
μετὰ τὰς τοῦ Ὀνιστούλα ποταμοῦ ἐκβολὰς . . . . Χρόνου ποτ. ἐκβ.	... ubi Riphæi deficiunt montes, habitant Arimphæi..... quos amnes Chronius et Visula præterfluunt ;
3, 5, 23.	
μεταξὺ δὲ τῶν Ἀλαύνων καὶ τῶν Ἀμαξοβοων . . . Σαργάστιοι	juxtaque Massagetæ Halani et Sargetæ,
6, 3.	**XXIII, 6, 26.**
Σουσιανῆς θέσις	... His tractibus Susiani junguntur apud quos non multa sunt oppida.
6, 16, 1.	**XXIII, 6, 64.**
ἡ Σηρικὴ περιορίζεται	... Ultra hæc utriusque Scythiæ loca contra orientalem plagam in orbis speciem consertæ celsorum aggerum summitates ambiunt Seras.

1. *Hermes*, XVI, p. 612 et seq.
2. Confer *Hermes*, XVI, p. 617; Vidal de La Blache, *Comptes rendus de l'Académie, des Inscriptions et Belles-Lettres*, année 1896, 4e série, t. XXIV; *Bulletin*, nov.-déc., p. 478.

Ptolemæus, lib. VI, 7.

Κατέχουσι δὲ τὴν μεσόγαιαν παρὰ μὲν τὰς ὀρεινὰς τὰς πρὸς ἄρκτους ὡς ἐπὶ πᾶν Σκηνῖται, καὶ ἔτι ὑπὲρ αὐτοὺς Ὀαδῖται, μεσημβρινώτεροι δὲ τούτων Σαρακηνοὶ καὶ

Amm., XIV, 4, 1, 3.

Saraceni tamen..... Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur...

XXIII, 6, 13.

et Scenitas Arabas, quos Saracenos posteritas appellavit.

XXII, 15, 2.

et Scenitas prætenditur Arabas quos Saracenos nunc appellamus,

Quibus addenda sunt, si Mommsenio[1] fidem adhibere velis, quædam dicta memorabilia ex nominum enumeratione desumpta. Talia sunt hæc subjecta, ubi de Scordicis agitur :

Ptolemæus, lib. II, 15.

παννονίας τῆς κατωθέσις... Κατέχουσι... ἐν δὲ τοῖς ἀνατολικοῖς ἀρκτικώτατοι μὲν Ἀραύισκοι μεσημβρινώτεροι δὲ Σκορδίσκοι

Amm., XXVII, 4, 4.

longe nunc ab iisdem provinciis disparati,

Müllenhof autem, vir quidem eruditissimus, Marcellinum nostrum nonnullis in locis componendis Ptolemæum ipsum tractavisse fatetur.

Quo judice, haud dubium est quin Halani « veteres Massagetæ » XXXI, 2, 12, Halani Europæi XXII, 8, 42, Sargetæ XXII, 8, 38, Iaxamatæ, Roxolani, Jazyges XXII, 8, 31, Sinchi et Arichi XXII, 8, 33, ex hoc fonte manent. Is tamen non putat Ammianum eadem nomina bis terque allata tantummodo ex Ptolemæo desumpsisse ut hœc variis sui libri locis insereret. Quæ cur iterum adhibita sint, causa in eo quærenda est ea quod Noster deprompserit, non solum e Ptolemæo ipso, sed etiam ex alio intermedio auctore qui hunc græcum geographum diversosque scriptores compilavisset. Accedit quod, neque a Ptolemæo, neque ab alio auctore commemorantur illi Sauromatæ quos Ammianus in iis terris posuit quæ ultra Tanaïm atque versus « extremum » mare extenduntur quo flumen

1. *Hermes*, t XVI, p. 607 et 617.

Corax influit[1]. Ex quo collegit Müllenhoff cum Ptolemæanis nominibus reliqua ex compluribus scriptoribus hausta confudisse expilatorem atque ejus rationem secutum esse Ammianum[2]; neve recte, ut mea opinio fert.

Etenim fieri potuit ut ipse Ammianus alios auctores (quos quidem reperire difficile mihi videtur) ac Ptolemæum perlegerit, quorum tradita nomina Ptolemæanis miscuerit. Neque inferendum esse arbitror intermedium auctorem pertractatum, inde quod in his supra allatis nonnulla deprehendere licet quæ apud hunc græcum geographum reperiri nequeunt.

Namque, ut animadvertit Mommsenius[3], haud pauca de suo adjicere solet Noster, ut descriptiones ornet atque amplificet suas. Cujus generis esse suspicor, non tantum quæ de Sauromatis supra legimus, sed etiam quæ ad Saracenorum nomen pertinent. Etenim, quanquam Saraceni a nullo scriptore prius commemorantur quam a C. Ptolemæo, tamen constat ab eodem non in Scenitis poni Saracenos[4]. Ex quo conjectura assequi licet Saracenos nomen suum post Ptolemæi et ante Ammniani ætatem Scenitis imposuisse, neque hæc mutata ignorasse Marcellinum nostrum.

Quodcumque est, nonnullis ex his populorum Ptolemæanis nominibus respondent aliquot a Plinio, Solino, Dionysio Periegete prolata, dico, nomina Serum[5], Sauromatarum[6], Scenitarum[7]. Quos vero scriptores ab Ammiano fuisse adhibitos censeo. Etenim, ut rursus Mommsenium testem afferam, in iis locis, ubi de Ægypti Orientisque diœcesibus ac Persarum provinciis agitur, aliquot Plinianæ originis vestigia exstant[8]. Præterea aliquid similitudinis præ se ferunt, quæ uterque de

1. XXII, 8, 29.

2. *Deutsche Altertumskunde*, 3. Band, *loc. cit.*, p. 87 et suiv.

3. *Hermes*, loc. cit., XVI, 607.

4. Schuffner, *Ammianus Marcellinus in rerum gestarum libris quæ de sedibus ac moribus complurium gentium scripserit, quibus rebus differant ab aliis scriptoribus, quibus cum iis congruant, exponitur*, Meiningen, 1877, p. 5.

5. Confer Plin., V, 11; VI, 20 et 24; Solin., c. 36: Dionys. Perieg., V, 753.

6. Cf. Plin., VI, 5 et 15; Solin., c. 15.

7. Cf. Plin., VI, 30, 32; Solin., 36.

8. *Hermes*, XVI, p. 629.

Heniochis, Atlantibus, Arimphæis, Seribus scripsit[1]. Quibus in componendis noli tamen putare usum esse Plinio Ammianum. Nam primum, si Solinum inspexeris, nonnullos sane inveneris locos qui cum Ammianeis quasi vinculo connexi videntur[2]. Quin etiam, ut censet Mommsenius, Marcellinus noster Solini imitator habendus est, utpote qui eum secutus sit in his locis ubi Plinius non fuit adhibitus, necnon Solinana, quæ apud Plinium inveniri nequeunt, transcripserit[3]. Conferas enim quæ hi tres auctores retulerunt de bovis Apis cultu :

Plin., *Hist. nat.*, VIII, 71, ed. Lemaire.

Bos in Ægypto etiam *numinis* vice colitur *Apim* vocant. *Insigne* ei, in *dextro latere* candicans macula, cornibus *lunæ* crescere incipientis. Nodus sub lingua quem cantharum appellant. Non fas est eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum *fonte* enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant : et donec invenerint, mœrent, derasis etiam capitibus : nec tamen unquam diu quæritur. *Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus*. Delubra ei gemina, quæ vocant *thalamos*, auguria populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira *portendit*. Responsa privis dat, e manu consulentium *cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum aversatus* est, haud multo postea exstincti. Cætero secretus,

Ammian., XXII, 14, 7, ed. Gardthausen.

Est enim *Apis bos* diversis genitalium figuris expressus, maximeque omnium *corniculantis lunæ* specie *latere dextro insignis*, qui cum post vivendi *spatium præstitutum sacro fonte immersus* e vita abierit nec enim ultra eum *trahere licet* ætatem. quam secreta librorum præscribit auctoritas *mysticorum*; *necatur* choragio pari *bos femina*, quæ ei *inventa* cum notis certis offertur, quo perempto alter *cum publico* quæritur *luctu*, et si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, *ducitur Memphim*, urbem frequentem, præsentiaque *numinis* Æsculapii claram. Cumque initiante *antistitum* numero *centum* inductus in *thalamum* esse cœperit *sacer*, conjecturis apertis signa

Solin., 32, 142, ed. Mommsen, 1895.

Inter omnia quæ Ægyptus habet digna memoratu præcipue *bovem* mirantur. Hunc ad instar colunt *numinis insignem* albæ notæ macula quæ *dextero lateri* ejus ingenita *corniculantis lunæ* refert faciem. Statutum ævi *spatium* est, quod, ut adfuit, profundo *sacri fontis immersus necatur*, ne diem longius *trahat* quam *licebit*. Mox alter, nec sine *publico luctu* requiritur, quem *repertum centum antistites Memphim* prosequuntur, ut *incipiat ibi sacris* initiatus *sacer* fieri. Delubra quibus succedit aut incubat *mystice thalamos* nominant. Dat omina manifestantia de futuris : illud maximum si de consulentis manu capiat. Denique *aversatus Germanici Cæsaris* dexteram prodidit ingruentia, nec

1. Plin., VI, 5; V, 8; VI, 7; Amm., XXII, 8, 24; XV, 3, 6; XXII, 8, 38.
2. Confer Wagner, *Comm. in Amm*, ed. Erfurdt, t. III, p. 46.
3. *Hermes*, XVI, p. 629.

quum se proripuit in cœtus incedit summotu lictorum, grexque puerorum comitatur carmen honori ejus canentium : intelligere videtur et adorari velle. Hi greges repente lymphati futura præcinunt. *Femina bos* semel ei anno ostenditur : suis et ipsa insignibus quanquam aliis : semperque eodem die et inveniri eam et exstingui tradunt. Memphi est locus in Nilo quem a figura vocant Phialam : omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergunt iis diebus quos habent *natales* Apis : septem hi sunt mirumque neminem per eos a crocodilis attingi : octavo post horam diei sextam redire belluæ feritatem.

rerum futurarum dicitur demonstrare et adeuntes quosdam indiciis averti videtur obliquis, ut offerentem *cibum* aliquando *Germanicum Cæsarem*, sicut lectum est, *aversatus portenderat* paulo post eventura . . .

XXII, 15, 17.

Et sævientes semper eædem feræ quasi pacto fœdere quodam castrensi *per septem* cærimoniosos dies mitescunt ab omni sævitia desciscentes quibus *sacerdotes* Memphi *natales* celebrant Nili.

multo post Cæsar extinctus est. Pueri Apim gregatim sequuntur et repente velut lymphatici ventura præcinunt. Bos illi femina ostenditur in anno semel et ipsa non absque certis insignibus, quæ atque inventa et oblata est, eadem die statim neci datur. Apis *natalem Memphici celebrant* jactu pateræ aureæ quam projiciunt in Nili statum gurgitem. Hæc solemnitas per *septem dies* agitur : quibus diebus cum sacerdotibus quasdam crocodili indutias habent.

Certe non diffiteor nonnullos Marcellini nostri locos Plinianis vel verbis vel sententiis respondere; plura tamen mihi videntur verba quæ Solini verbis respondent. Ex quibus hæc præcipue consideranda sunt, quæ apud Plinium reperiri nequeunt. Talia sunt, ut cetera omittam, « corniculantis... mysticorum... publico luctu... centum antistitum ». Ex quo conjici potest Ammianum Plinium fortasse neglexisse, sed in primis Solinum esse imitatum.

Similiter, teste Mommsenio supra allegato[1], errant qui Nostrum hujus scriptoris expilatorem esse dicunt. Etenim alios auctores in auxilium vocavit qui eadem tractaverant. Quod præcipue in iis quæ de Scythis commemoravit, in lucem producere licet. Considera enim quæ de iisdem populis prodiderunt tres auctores, videlicet, P. Mæla, Plinius, Solinus. Certe, primum non te fugiet Ammianum cum iis aliquam cognationem præstare in his locis qui subjiciuntur :

1. C. *Julii Solini collectanea rerum memorabilium*, 1864, Præf., p. XXIV; 1895, Præf., p. VI.

P. Mæla,	**Plinius.**	**Ammianus.**	**Solinus.**
II, 2, 13.		**XXXI, 2, 14.**	**XV, 1.**
Geloni hostium cutibus equos seque velant, illos reliqui corporis, se capitum.		et *Geloni* perquam feri, qui detractis peremptorum *hostium cutibus indumenta* sibi *equisque tegmina* conficiunt bellatoria.	*Geloni* ad hos proximant, de *hostium cutibus* et sibi *indumenta* faciunt et *equis* suis *tegmina.*
II, 2, 10.	**IV, 26.**		
Agathyrsi ora artusque pingunt; ut quisque majoribus præstat, ita magis aut minus, ceterum iisdem omnes *notis*, et sic ut ablui nequeant.	et *cæruleo* capillo *Agathyrsi.*	*Gelonis Agathyrsi conlimitant*, interstincti colore *cæruleo* corpora simul et *crines* et *humiles* quidem minutis atque raris, nobiles vero latis *fucatis* et densioribus *notis.*	*Gelonis Agathyrsi conlimitantur cæruleo picti*, *fucatis in cæruleum crinibus*, nec hoc sine differentia : nam quanto quis anteit, tanto propensiore *nota* tinguitur ut sit indicium *humilitatis* minus pingi
V, 1, 13.	**VI, 20.**	**XXXI, 2, 15.**	
Apud *Anthropophagos* ipsæ etiam epulæ *visceribus humanis* apparantur.	*Anthropophagi* Scythæ insident *humanis corporibus vescentes.*	Post hos Melanchlænas et *Anthropophagos* palari accepimus per diversa, *humanis corporibus victitantes*	post *Anthropophagos* quibus execrandi cibo sunt *humana viscera.*
	Ideo juxta vastæ *solitudines.*	quibus ob hæc alimenta nefanda desertis finitimi omnes longa petiere *terrarum.*	quem morem impiæ gentis adjacentium *terrarum* prodit tristissima *solitudo* quas ob nefarium ritum finitima nationes profugæ reliquerunt.
	deserta cum belluis usque ad jugum incubans *mari* quod vocant *Tabin*, necante dimidiam ferme longitudinem ejus *oræque* spectat *æstivum orientem inhabitatur* illa regio : primi sunt hominum qui noscantur *Seres.*	Ideoque plaga *omnis orienti æstivo objecta*, usque dum *venitur ad Seras*, *inhabitabilis* mansit.	ea causa est, ut usque ad *mare* quod *rabim* vocant per longitudinem ejus *oræ* quæ *æstivo orienti objacet*, sine homine terra sit et immensa deserta quoad *perveniatur ad Seras.*

Ex his locis collatis perspicuum est plerasque Ammiani et Solini sententias pæne ad verbum consentire. Itaque non miror quod etiam nostra ætate, vir quidem eruditissimus, Vivien de Saint-Martin, Ammianum ex eo exscripsisse contenderit quæ apud Solinum legerat de Agathyrsis[1]. His adjice quod hos populos fere in eodem ordine descripsere Noster ac Solinus. Sic uterque, Neuros, Gelonos, Agathyrsos, Anthropophagos, percensuit. Animadvertendum est autem diversa esse inter se, quæ de Neuris relata sunt, et inprimis duos populos, Budinos, Melanchlænosque ab altero nominatos, ab altero autem esse omissos, quorum, ordine quidem diverso, Plinius IV, 2, 88; VI, 5, 15 et Mæla, I, 1, 16, 2, 14, mentionem reddiderunt. Ex quo patet alia Solino, alia Ammiano esse propria; neque alterum ab altero pendere. Licet igitur opinari, ut jam demonstravere Gardthausenius ac Mommsenius, utrumque ex deperdito commentario hæc arcessivisse in quo Plinius et Mæla ita commixti fuissent, ut apud Solinum deprehendi possunt, eoque fere ordine quem jam ab Ammiano et Solino accurate servatum fuisse diximus. Quod commune opus Chorographia Pliniana inscribitur[2].

Minus certum est, etsi non omnino improbabile habendum est, ex tali opere ea esse oriunda quæ de Seribus scripsit Marcellinus[3]. Namque, ut in Scytharum, sic in hujus populi descriptione non est infitiandum nonnulla inesse similia his quæ Mæla, Plinius[4], Solinus protulerunt. Quæ subjicienda atque in lumen producenda curavimus :

1. *Nouvelles Annales des voyages*, avril-juin 1851, 5e série, 26, p. 139 et 143.
2. Mommsen, *Solini collectanea*, 1864, Præf., p. xxiv et xxv; 1895, Præf., p. vi; *Hermes*, XVI, p. 633; Gardthausen, *loc. cit.*, p. 45.
3. Vide Gardthausen, *loc. cit.*, p. 50; *Uebersicht*; Müllenhoff, *loc. cit.*, 3. Band, p. 87.
4. Bunbury viro quidem erudito non assentior, qui hanc descriptionem ex Plinio pæne ad verbum petitam esse asseveravit. Confer *History of ancient geography*, vol. I, xx, London, 1879.

P. Mæla.

III, 7.

Seres intersunt genus plenum justitiæ ex commercio quod rebus in solitudine relictis absens peragit, notissimum.

Plin., VI, 20.

lanicio *silvarum* nobiles, perfusam *aqua* depectentes *frondium* canitiem unde geminus feminis nostris labor redordiendi *fila* rursumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur ut in *publico matrona* transluceat.

VI, 24.

Seres mites quidem sed et ipsis feris persimiles *cœtum reliquorum mortalium* fugiunt, commercia exspectant............ Fluminis ulteriore ripa merces positas juxta venalia tolli ab his, si placeat permutatio....... nullo commercio linguæ... non aliter odio justiore luxuriæ, quam si perducta mens illuc usque cogitet quid et quo petatur.

Amm., XXIII, 6, 67.

et abunde *silvæ* sublucidæ a quibus *arborum* fetus *aquarum asperginibus* crebris velut quædam *vellera* molientes ex *lanugine* et *liquore* mixtam *subtilitatem tenerrimam* pectunt, nentes subtegmina conficiunt *Sericum* ad usus antehac *nobilium*, nunc etiam *infimorum* sine ulla discretione proficiens.

XXIII, 6, 68.

Ipsi præter alios frugalissimi pacatioris vitæ cultores, vitantes *reliquorum mortalium cœtus* cumque ad coemenda *fila* vel quædam alia *fluvium transierunt* advenæ, nulla sermonum vice propositarum rerum pretia solis *oculis æstimantur,* et ita sunt abstinentes ut apud se *tradentes* gignentia nihil ipsi comparent adventicium.

Solin., 50, 2, 4.

qui *aquarum aspergens* inundatis frondibus *vellera arborum* adminiculo depectunt *liquoris* et *lanuginis teneram subtilitatem* humore domant ad obsequium. Hoc illud est *Sericum in usum publicum* damno severitatis admissum et quo ostentare potius corpora quam vestire primo feminis nunc etiam viris persuasit libido.

51.

Seres ipsi quidem mites et interse quietissimi et qui *reliquorum mortalium cœtus* refugiant, adeo ut ceterarum gentium commercia abnuant. Primum eorum *fluvium* mercatores ipsi *transeunt* in cujus ripis, nullo inter partes linguæ commercio, sed depositarum rerum pretia *oculis æstimantibus* sua *tradunt*, nostra non emunt.

Porro, primo aspectu, Ammianei loci, non tantum in sententiis, sed etiam in forma atque verborum structura adstrictiorem cognationem cum Solinanis præ se ferunt quam cum Mælanis aut Plinianis. Restat igitur, ut inquiramus, utrum Solinum, an Chorographiæ auctorem tractaverit Noster. Si quis vero hoc alterius verbum « in usum publicum » cum eo alterius verbo « infimorum » conferre studuerit, Ammianum a Solino pendere fortasse persuasum habebit. Id autem Ammiani « nobilium » ab hoc Plinii verbo « matrona » minime discrepare non est dissimulandum. Quare fateor me de ea re ambigere.

Neque asseverare ausim, ut Gardthausenius[1] et Mütlenhoff[2], e Chorographia Pliniana esse petita quæ de Atlanteis, Heniochis, Arimphæis, legere licet. Conferas enim Ammianum cum Mæla, Plinio, Solino :

1. *Loc. cit.*, p. 50.
2. *Loc. cit.*, 3. Band, p. 87, § 21.

P. Mæla, I, 8, 11.	Plin.[1], V, 8.	Amm., XV, 3, 6.	Solin., p. 161, 31, 14.
neque illis in quiete, qualia ceteris mortalibus, visere datur	neque insomnia visunt (Atlantei).	quod apud Atlanteos nati non essent, ubi memorantur *somnia* non *videri*.	affirmant eos *somnia* non videre.
XXI.	**VI, 5.**	**XXII, 8, 24.**	**P. 85, 13, 15.**
in *Heniochorum* finibus, *Dioscurias a Castore et Polluce* pontum cum Jasone ingressis.	*Castoris* ac *Pollucis aurigis* putent, *a quibus ortam Heniochorum* gentem feram constat.	et *Dioscurias* nunc usque nota cujus auctores *Amphitus* et *Cercius* Spartani traduntur *aurigæ Castoris* et *Pollucis* quibus *Heniochorum* natio est instituta.	Colchorum urbem *Dioscuriadem Amphitus* et *Cercius aurigæ Castoris* et *Pollucis* condiderunt *a quibus Heniochorum* gens *exorta* est.
XXI.	**VI, 7.**	**XXII, 8, 38.**	**P. 89, 17, 1.**
Tum continuis rupibus, late aspera et deserta regio, ad *Arimphæos* usque permittitur.	ultra quas *Arimphæi* qui ad *Riphæos* pertinent *montes*.	Ergo in ipso hujus compagis exordio ubi *Riphæi deficiunt montes*, habitant *Arimphæi*.	Altera in Asia gens est ad initium orientis æstivi ubi *deficiunt Riphæorum montium* juga Hyperboreis similes dicunt *Arimphæos*.

1. Eadem jam enuntiaverat Herodotus, IV, 184.

Quibus in locis Ammianum Solinum imitatum esse probabilius habeo, quia non modo verba, sed etiam nomina a Solino adhibita transcripsit quæ, neque apud Mælam, neque apud Plinium inveniri possunt.

Quibus fontibus annumerandus est Dionysius Periegetes. Marcellinus enim, non modo, quo ordine ille nonnullos populos, velut Achæos, Cimmerios, Cercetas, nominavit, fere in eodem enumeravit[1], sed etiam, ex illius opere ubi terrarum orbem descripserat, populorum terras Paludi Mæotidi fluminique Tanaidi proximas incolentium transtulit prorsus desueta nomina. Unde fit ut, apud Ammianum, versus ad orientem, Cimmeriis § 26 f. Plinianæ Chorographiæ insertæ Amazones, Sauromatis Mæotisque §§ 29, 31, Ptolemæani Jaxamatæ, necnon ad occidentem versus § 31, Iazygibus, Roxolanis, Halanis a Ptolemæo indicatis (Ptol. 3, 5, 19) Melanchlæni, Geloni et Agathyrsi, adjiciantur[2].

His aliqua ex parte explanatis, satis sibi quisque persuasum habebit, Ammianum, quotiescumque oblata est occasio, fontes fere æquales minime neglexisse. Quare eum ipsis æqualibus auctoribus usum esse suspicari licet. Gardthausenius[3] tamen, huic fontes inquirendi rationi supra enuntiatæ sese adstringens, non ex Rufi Festi opere, sed ex hoc ignoti scriptoris opere, quod schematicam geographiam vocat, sua et Ammianum nonnunquam petiisse, et Rufum Festum ipsum contendit. Id autem conjecit ex eo quod animadvertit inter se se consentire Florum et Marcellinum in his locis :

1. Wernsdorf, *Rutilii Numatiani Itinerarium Prisciani Periegesis*. Excursus IV, *Poetæ latini minores*, ed. Lemaire, t. IV, p. 426 et seq.

2. Müllenhoff, *loc. cit.*, 3. Band, p. 87 et 88.

3. *Loc. cit.*, p. 22-29.

Florus, I, 38, § 2, 3.	Amm., XXVII, 4, 4.	Ruf. Festus, IX, 2.
Nihil interim per id omne tempus residuum *crudelitas* fuit in *captivos sævientibus*, *litare dis* sanguine humano *bibere in ossibus capitum.*	Et partem earum *habitavere Scordisci* (longe nunc ab iisdem provinciis disparati), *sævi* quondam et truces, ut *antiquitas docet*, *hostiis captivorum* Bellonæ *litantes* et Marti *humanumque sanguinem in ossibus capitum* cavis *bibentes* avidius.	In Thraciæ regionibus *Scordisci habitaverunt* pariter crudeles et *callidi*; de quorum *sævitia multa fabulose memorantur*, quod *hostiis captivorum dis* suis aliquando *litaverunt* atque *sanguinem humanum* ex *ossibus capitum* potare sint soliti.
Sævissimi omnium Thracum Scordisci fuere, sed *calliditas* quorum ad robur accesserat.		Sævissimi omnium gentium Thraces fuerunt.

Quam sententiam is confirmavit eo quod nonnulla apud Ammianum leguntur quæ apud Rufum desunt. Sic quos deos, dico, Martem et Bellonam, Scordiscis alter attribuit, eos non indicavit alter[1].

Hæc autem speciosiora sunt quam veriora. Etenim, ut demonstravit Mommsenius, hi loci, non ex Floro, sed ex Rufo Festo ipso qui priorem pertractavit[2], desumpti sunt[3]. Cujus rei afferri possunt tria argumenta. Primum Rufi opusculum quod Breviarium dicitur, tantum viginti annis ante scriptum est quam natus est Ammianus. Quod nos impellit ut colligamus ei notum hoc opus fuisse. Deinde Ammianei loci, vel in verbis, vel in sententiis, Rufi loci similiora quam Flori videntur. Tertium argumentum ducendum est ex eo quod hic Nostri locus « ut antiquitas docet » cum eo alterius loco « multa fabulose memorantur » aliquo modo satis convenit; nullus autem ejus generis apud Florum reperiri potest.

Quod si quis duos alios locos, « longe nunc ab iisdem disparati » et « Bellonæ litantes et Marti » mihi objiciat, ei res-

1. *Loc. cit.*, p. 5-29.

2. Teuffel, *Histoire de la littérature romaine*, trad. fr. Bonnard et Pierson, Paris, t. III, p. 152.

3. *Hermes*, XVI, p. 605 et suiv., 612.

pondebo : alterum Ptolemæo, ut supra dixi[1], alteram Ammiano ipsi esse tribuendum[2].

Denique, etsi id minus apparet, tamen non improbabile est eum Justino, cujus de ætate operibusque quæstio admodum perplexa est, sed haud dubie prioris temporis scriptori, legendo operam navasse. Conferas enim quæ uterque de Ægyptiorum Scytharumque prisca origine scripsit :

Just., lib. II, 1.	Amm., XXII, 15, 2.
Quanquam inter Scythas et Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuit.	Ægyptiam gentem omnium vetustissimam, nisi quod super antiquitate certat cum Scythis.

Item, ni fallor, nihil aliud egit Ammianus quam Scytharum Justinanam amplificasse descriptionem. Conferas :

Justin., II, 2.	Amm., XXII, 8.
Hominibus inter se nulli fines : neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus, et per incultas *solitudines* errare solitis... Uxores liberosque secum in *plaustris* vehunt, quibus *coriis* imbrium hiemisque causa *tectis*, pro domibus utuntur.	In medio autem spatio arcus, quod prolixæ rotunditatis esse prædiximus, quodque expedito viatori diebus conficitur quindecim Europæi sunt Halani et Costobocæ gentesque Scytharum innumeræ quæ porriguntur ad usque terras sine cognito fine distentas : quarum pars exigua frugibus alitur : residuæ omnes palantes per *solitudines* vastas, nec stivam aliquando nec sementem expertas, sed squalentes et pruinosas, ferarum tætro ritu vescuntur : eisque caritates et habitacula, vilesque supellectiles *plaustris* impositæ sunt *corticibus tectis*, et cum placuerit, sine obstaculo migrant, eadem carpenta quo libuerit, convolventes.

Ex hac collatione apparet alterum cum altero, si minus in verbis, tamen multum in sententiis, congruere.

Neque Gardthausenio assentior qui quemdam locum ad Amazonas pertinentem ex Chorographia Pliniana haustum fuisse putat[3]; probabilius est autem hunc locum ex Justini

1. Vide p.. 27 nostri operis.
2. Confer Mommsen, *Hermes*, p. 607.
3. *Loc. cit.*, p. 50.

opere depromptum. Quod perspici potest ex his quæ infra attulimus :

Just., 2, 4.	Amm., 22, 8, 17 et 18.
(Scythæ) et in Cappadociæ ora juxta amnem *Thermodonta* consederunt subjectosque *Themyscirios* campos occupaverunt. Ibi per multos annos spoliare *finitimos* adsueti	*Thermodon* his est proximus ab Armonio defluens monte et *Themysciræos* interlabens lucos ad quos Amazonas quondam migrare necessitas subegerat talis. Adtritis damnorum assiduitate *finitimis*, Amazones veteres...

Nemo est quin, vel in verbis Ammiani, vel in sententiis, aliquot Justinanæ originis indicia deprehendat. Quam in sententiam eo libentius nobis videtur eundum quod alterius sequens locus cum alterius sequenti loco concinit.

Ejusdem originis nonnulla vestigia reperiri possunt in hoc loco, ubi de Magis agitur. Quod intellexeris, si hæc contuleris :

Justin., lib. I, 1.	Amm., XXIII, 6, 32.
Postremum illi bellum cum *Zoroastre*, rege *Bactrianorum* fuit, qui primus dicitur artes magicas invenisse, et *mundi* principia *siderumque motus* diligentissime spectasse.	..... multa ex Chaldæorum arcanis *Bactrianus* addidit *Zoroastres* (deinde Hystaspes rex prudentissimus Darei pater qui cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret ad numerosam quamdam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur), eorumque monitu rationes *mundani motus* et *siderum* . . . .

De iis auctoribus quibus usus sit Ammianus, disseruimus; ceteros quos in auxilium interdum vocavit, brevissime attingamus.

Primum quidem, Homeri carminibus eum delectatum fuisse in gentibus describendis, elucet nonnullis in locis ubi hunc poetam nominatim laudavit. Sic XXIII, 6, 53 « quos (ut Homerus fabulosius canit) Jupiter ab Idæis montibus contuetur » ; XXIII, 6, 62 « ut Iaxartæ sunt et Galactophagi, quorum meminit vates Homerus in hoc versu :

Γλακτοφάγων 'Αβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων[1],

1. Confer Homerum, *Iliad.*, XXIII.

At, ut conjectura auguratur Mommsenius[1] quos locos, vel ex Homero ipso, vel ex sua memoria, attulisse videtur Noster, eos ex alio auctore auctore intermedio assumere potuit. Sic hunc versum, quem supra legimus, haustum ex Strabone in quo idem laudatur[2], cuique legenti habere licet.

Sed, ut jam diximus, non Strabonis opere, sed Eratosthenis scriptis, usus est Ammianus. Ex quo fit ut probabilius sit hunc versum ex Eratosthene esse usurpatum intermedio aut ex Nicolao Damasceno a quo allatus est[3].

Præter Homerum alios auctores testes fecit, dico, Thucydidem, Platonem, Ciceronem. Sic XXIII, 6, 75 « quem Græcorum veterum morem abjecisse primos Athenienses Thucydides est auctor amplissimus[4] » ; XXIII, 6, 32, « Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato Machagistiam esse verbo mystico docet, divinorum incorruptissimum cultum, cujus scientiæ sæculis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres »[5] ; XV, 12, 4, « quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post hæc dilutius esse poturos quod illi venenum esse arbitrabantur »[6].

Quibus auctoribus accensendus esse mihi videtur Sallustius. Attamen Gardthausenius[7] et Müllenhoff[8] opinantur Marcellinum nostrum, non in manibus ejus libros habuisse, sed nonnulla ex intermedio quodam auctore exscripsisse. A quibus vero dissentio, propterea quod, ut eruditi viri Ad. Gutschmid Hertzque[9] jam demonstravere, ita convenit cum Sallustio Ammianus ut non dubium sit quin eum perlegerit. Quod perspici potest ex his locis, ubi de Achæis et Saguntinis locutus est :

1. *Hermes*, XVI, p. 617, n. 2.
2. VII, 3, 9.
3. *Fragmenta historicorum græcorum*, Carolus Müllerus, p. 460.
4. Confer Thucydidem, lib. I, 6, 3.
5. Plato, edit. Didot, vol. I, XVII, p. 480. Notandum est Ammianum scripsisse « machagistiam » ; Platonem autem μαγείαν.
6. Confer Baiker et Kayser, *M. Tullii Ciceronis quæ supersunt omnia*, vol. XI.
7. *Loc. cit.*, p. 43.
8. *Loc. cit.*, 3 Band., p. 88.
9. *Loc. cit.*, p. 7 et seq. ; Mommsen, *Hermes*, XVI, p. 603.

Sall., *Hist.*, III, 52.

Namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achæi atque Tauri sunt quod (quantum conjicio) locorum egestate rapto vivere assueti

Amm., XXII, 8, 25.

et horrore cæli districti victum etiam sibi cum periculis rapto parare assuefacti sunt atque eo ultra omnem deinde ferociam sævierunt.

II, 21.

Saguntini fide atque ærumnis incluti præ mortalibus...

XV, 10, 10.

Saguntinis memorabilibus ærumnis et fide,...

Ut recte animadvertit Hertz, « Saguntinorum sane commemorationi tam prope præcedit Geryones ap. Amm., ut quanquam aliunde quoque facile memorare eum poterat, hoc tamen ad Sallustium referendum esse videatur »[1].

Hactenus de iis scriptoribus, quos ipse nominatim attulit Ammianus. Fallitur vero qui præter hos nullum alium ei notum fuisse putet. Complures enim inspexisse videtur, quorum nullam fecit mentionem. Ex quibus, temporum ordine servato, non omittendi sunt Cæsar, Tacitus, Pausanias, A. Gellius.

Etenim certa et manifesta sunt quæ in Gallorum descriptione Cæsarianam originem declarant[2].

Cæs., *De Bell. Gall.*, I, 1.

Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana. dividit. *Horum omnium fortissimi* sunt *Belgæ*, propterea quod a *cultu* atque *humanitate* provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant atque ea ad *effeminandos* animos pertinent, important.

Amm., XV, 11, 2 et seq.

et *Gallos* quidem qui Celtæ sunt, ab *Aquitanis Garumna* disterminat *flumen*,..... *a Belgis* vero eamdem gentem *Matrona* discindit et *Sequana*... *Horum omnium* apud veteres *Belgæ* dicebantur esse *fortissimi* ea propter quod ab *humaniore cultu* longe discreti nec adventiciis *effeminati* deliciis, diu cum transrhenanis certavere Germanis. Aquitani enim, ad quorum littora ut proxima placidaque merces adventiciæ convehuntur, moribus ad mollitiem lapsis facile in dicionem venere romanam.

1. *Loc. cit*, p. 9.

2. Confer Lindenbrog, Wagner, *Comment. in Amm.*, fol. 162, ed. Erfurdt, 1808, t. II; Gardthausen, *loc. cit.*, p. 44 et 50; Cougny, *Extraits des auteurs grecs concernant la géographie et l'histoire des Gaules*, t. II, 1879, p. 340, 1; Desjardins, *Géographie de la Gaule romaine*, t. III, Paris, 1885, p. 472.

Cuique hos locos conferenti liquet Ammianum quæ apud priorem scriptorem legisset, ea assumpsisse atque amplificasse. Neque dubium est quin his verbis « apud veteres... dicebantur » alium auctorem atque ipsum Cæsarem indicare noluerit.

Utrum iis fontibus ex quibus sua hauserit Noster, adscribendus sit Tacitus, necne, dijudicare difficile est. Etenim, ut jam contenderunt viri eruditissimi, quanquam ne uno quidem loco hujus mentionem reddidit Ammianus, tamen eum inter scribendum imitari ipse potuit[1]. Sic, quæ is de Alamannis attulit, aliquam similitudinem in sententiis præ se ferunt cum his quæ de Germanis scripserat Tacitus[2].

Tac., *De mor. Germ.*, XVI.	Amm., XVI, 2, 12.
Nullas Germanorum populis urbes habitari notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi,.....	Nam ipsa oppida ut circumdata retiis busta declinant.
XXII.	XVIII, 2, 13.
Diem noctemque continuare potando nulli probrum.	epulis ad usque vigiliam tertiam gentili more extentis,...

Ammadvertendum est tamen Marcellinum nostrum transcripsisse nullum verbum ex his quibus prior scriptor usus sit. Unde fit ut res ambigendi naturam habeat.

Contra vero mihi haud dubium est quin sublegerit atque breviter contraxerit quæ in Pausaniæ opere continebantur de Sarmatorum armis :

1. Cf. Hugo Michael, *loc. cit.*, p. 3.
2. Confer Wagner, *Comm. in Ammianum*, ed. Erfurdt, 1808, t. II, p. 302. Similiter Ammianus cum Tacito convenit aliqua ex parte in alio loco, ubi de Quadis locutus est :

Tacit., *De mor. Germ.*, XI.	Amm., XXX, 6, 2.
De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, *apud principes pertractentur*	nihil *ex communi mente procerum gentis* delictum asseverantes in nostros,...

Pausanias, ed. Dindorf, 1843, I, 21, 5 et 6.

Συλλεξάμενοι δὲ τὰς ὁπλὰς ἐκκαθήραντές τε καὶ διελόντες ποιοῦσιν ἀπ' αὐτῶν ἐμφερῆ δρακόντων φολισιν· ὅστις δὲ οὐκ εἶδέ πω δράκοντα, πίτυός γε εἶδε καρπὸν χλωρὸν ἔτι· ταῖς οὖν ἐπὶ τῷ καρπῷ τῆς πίτυός φαινομέναις εντομαῖς εἰκάζων τὸ ἔργον τὸ ἐκ τῆς ὁπλῆς οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι. Ταῦτα διατρήσαντες καὶ νεύροις ἵππων καὶ βοῶν συρράψαντες χρῶνται θώραξιν . . . . . .

Amm., XVII, 12, 2.

quibus ad latrocinia magis quam aperto habilibus Marti hastæ sunt longiores et loricæ ex cornibus rasis et lævigatis, plumarum specie linteis indumentis innexæ :...

In alio loco utitur Noster iis quæ narravit A. Gellius de Phocæensibus[1]. Nam, quanquam Desjardins, vir quidem doctus, hæc asseveravit ex Herodoto esse sumpta[2], ita convenit Noster cum priore scriptore, ut non dubitari possit quin eum perlegerit, atque exscripserit :

A. Gellium, X, 16, ed. Hertz.

Nam qui ab Harpalo regis Cyri præfecto, ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, partim Massiliam condiderunt.

Amm., XV, 9, 7.

a Phocæa vero Asiaticus populus Harpali inclementiam vitans, Cyri regis præfecti Italiam navigio petit. Cujus pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam.

Quanquam difficile est quidquam certi statuere de nonnullis fontibus ex quibus hauserit Ammianus, restantque quædam dubia et obscura[3], tamen, his disputatis, planum fit Gardt-

1. Confer Wagner, *loc. cit.*, t. II, fol. 154; *Comment.*, ed. Erfurdt, 1808.
2. *Géographie de la Gaule romaine*, t. II, p. 142, Paris, 1878.
3. *a*) De Persis. Conf. Mommsen, *Hermes*, XVI, p. 633.

De verecundia, Amm., XXIII, 6, 79 : confer Xenophontem, *Cyrop.*, I, 2; VIII, 8, 11; Herodotum, I, 99; Sallust., h. fr. inc. 54 D; cf. Hertz, *De Ammiani Marcellini studiis Sallustianis*, pp. 11 et 13.

De legibus, Amm., XXIII, 6, 82 : confer Herodotum, V, 25; Valer. Maxim., VI, 3; Diod. Sic., XV, 11.

De vestitu, Amm., XXIII, 6, 84 : confer Herodotum, III, 4; Herodianum, III, 4; Sextum Empiricum, I Hypotyp.

De exercitu, Amm., XXIII, 6, 83 : confer Herodian., VI.

De moribus, Amm., XXIII, 6, 76 : confer Bardesan. apud Euseb., *Præp. Evang.*, VI, 10, 25-26; Q. Curtium, X, 1.

b) De Ægyptiis.

De religione, Amm., XXII, 16, 19 : confer Euseb., *Præp. Evangel.*, l. IX, 10.

De vultu, Amm., XXII, 16, 23 : cf. Herod., II, 104.

De prisca origine, Amm., XXII, 15, 2 : confer Aristot., *De Republica*, VII,

hausenium deerravisse in hac dissertatione ubi asseveravit plurima digressionum quæ ad rem geographicam pertinent, ex quodam ignoto geographo esse petita. Satis enim apparet ex his quæ de externis gentibus demonstravimus, Nostrum permultos scriptores adhibuisse, non tantum quos nominatim attulit, sed etiam eos quorum nullam mentionem reddidit, neque modo græcos, sed etiam latinos. Atque is, etsi perlegit quidquam opus in quo aliquid ad rem invenire sperabat, et geographicos historicosque libros, et orationes, et carmina, et philosophicas lucubrationes, tamen plurimum tribuit rerum scriptoribus et geographis, utpote qui fere eadem, quæ ipse, tractavissent.

Fortasse ea demonstrata non sufficient iis qui scire velint pertractaveritne Marcellinus aliquem ex his scriptoribus potissimum diligenti cura. Hoc quidem non colligi potest ex his locis quos perlustravimus et contulimus.

Id tantum conjectura assequi licet, quosdam scriptores, Herodotum, Eratosthenem, Ptolemæum, Chorographiæ Plinanæ auctorem, Solinum, Rufum Festum, Justinum, duces

10; Herodot., II, 100-104; Diod. Sic., I, 50; P. Mæla, I, 9.

De lingua, Amm., XVII, 4, 8 : confer Diod. Sic., III, 4.

De geometriæ, astrologiæ studiis, Amm., XXII, 16, 17; cf. Diod. Sic., I, 81.

c) De Halanorum religione, Amm., XXXI, 2, 23 : confer Herodotum de Scythis, IV, 62; Solin., edit. Mommsen, p. 92, 10.

d) De Arimaspis, Amm., XXIII, 6, 13 : confer Herod. IV, 27; Mæla, II, 1; Plin., IV, 26; VII, 2; Strab., I, 2, 10; Solin., X; A. Gellius, IX, 4.

e) De Colchis, Amm., XXII, 8. 24 : confer Herodotum, II, 104; Strabon., XI, 217; Diod. Sic., I, 55; Plin., VI, 34; Dionys. Perieg, V., 688.

f) De Chalybibus, XXII, 821 (Strab., XII, 3, 19; Plin., VII, 57; Diony. Perieg., V, 768-769).

g) De pugnandi ratione Sarmatis propria, Amm., XVII, 13, 3 : confer P. Mæla, l. III; Florum, IV, 12; Tacitum, *Hist.*, I, 79.

h) De Amazonibus : Diod. Sicul., II, 45; Strab., XI, 5, 4 et seq., Dionys. Perieg., V, 656.

i) De Magis, Amm., XXIII, 6, 34, etiam ignem cælitus lapsum apud se sempternis foculis custodiri : confer Herod., XV; Strab., XV, 3, 15; confer *Hermes*, XVI, p. 633.

« Hunnorum gens monumentis veteribus leviter nota » Amm., XXXI, 21 : confer Ptolem., III, 5, 19; Dionys. Perieg, V, 730; Zonaras, XII, c. 30; C. Müllerus, *Geographi minores*, volumen secundum : *Prolegomena, De Dionysio Periegete*, pl. xx; Bunbury, *History of ancient geography*, vol. II, p. 486 et 487.

habuisse; ceteros autem Homerum, Thucydidem, Platonem, Sallustium, Cæsarem, Tullium, Tacitum, Pausaniam, A. Gellium, nonnunquam adhibuisse.

Quæ ex variis libris aucupatus erat, et sæpius ad suam doctrinam ostentandam protulerat, ea non modo ad Orientis populos, sed etiam ad Occidentis populos spectant. Multa vero ad Scythas, Gallos, Ægyptios, Seras, Sarmatas; nonnulla autem ad Medos, Achæos, Amazonas, Atlantas, Arimphæos, Heniochos, Saracenos, complures Ponto Euxino proximos, describendos eum in usum vertisse censeo.

CAPUT II

Quid ex suopte ingenio invenerit Ammianus.

His aliquo modo explanatis, quorum cognitionem ex variis libris atque compluribus desumpsit Ammianus, quænam digressiones, vel ex majore, vel ex minore parte ei sint tribuendæ, in aprico proferendum est.

Hæ vero digressiones, ni fallor, sunt quæ ad Saracenos, Halanos, Hunnos, Persas, Medos, Ægyptios, Thracios, Burgundiones, spectant[1]. Cujus rei afferri possunt quatuor causæ :

Prima est repetenda inde quod eorum populorum sedes, vel miles, vel privatus, plerumque is peragravit. Quod ex ejus libro compluribus locis comprobatur. Ipse enim testatur per Orientis provincias, Persidem, Thracias, Ægyptum, se peregrinatum esse[2]. Ex quo suspicari licet eum, non modo terrarum partes, sed etiam incolas, inspexisse.

Altera causa quærenda est in testimonio ipsius Auctoris, qui posteros nonnunquam docuit quos populos et quæ viderit. Sic, XIV, 4, 6, in Saracenorum descriptione « plerosque nos vidimus... »; XXII, 8, 1, de Thraciis « visa vel lecta »; XXII,

1. Cf. Mommsen, *Solini Collectanea*, ed. 1869, p. 24, et *Hermes*, XVI, p. 629 et 633 ; Gardthausen, *loc. cit.*, p. 4 et 5; Gimazane, *Ammien Marcellin, sa vie et son œuvre*, thèse, 1889, Toulouse, p. 213.

2. Comes Ursicinum equitum magistrum in Orientem secutus est, XIV, 9, 1. — Samosatam vidit, XVIII, 4, 7, et Hebrum, XVIII, 6, 5, et Thraciam, XXVII, 4, 2. — Per Ægyptum peregrinatus est, XVII, 4 6 ; XXII, 15, 1, et Orientis provincias, XXX, 4, 4. — Amidam venit, XVIII, 6, 17. — Trans Tigrum flumen trajecit, XXV, 8, 3. — Antiochiam reversus est, XXV, 10, 1. — In Corduenem profectus est ut Persarum consilia scrutaretur, XVIII, 6, 20, 23. — Juliani imperatoris in expeditione adversus Persas suscepta fuit comes, XXIII, 5, 7; 6, 21; 30.

15, 1, in Ægypti descriptione « visa pleraque narrantes »; XXVII, 4, 2, in his quæ ad Medos spectant « nosque vidimus ». Sane se Hunnos et Burgundiones aspexisse nullo loco significavit Noster; alios tamen per mercatores qui eos ipsi viderant[1], alios autem per Romanos qui Germaniam in militia perlustraverant, cognitos habere potuit.

Tertiam causam præbent nonnulla de aliquot populis, dico de Saracenis, Hunnis, Halanis, Persis, tradita, quæ primo aspectu ita scripta videntur ut non eo modo scribi potuissent, nisi ante ejus oculos fuissent posita.

Denique, id colligere possis ex eo quod in Hunnorum, Halanorum, Saracenorum, Persarum, Ægyptiorum descriptionibus nonnullos reperias locos, qui cum priorum scriptorum sententiis nullam cognationem præstant. Profecto Ammianus, quæ ex variorum librorum lectione memoriæ inhærebant, ne ad eas gentes quidem describendas pertinentia, excursibus amplificandis inseruit. Sic de Hunnis scripsit ea quæ de Africanis apud Livium legerat[2], ut ex hoc loco id perspicere tibi licet :

Livius, XXIX, 3, 13.	Amm., XXXI, 2, 11.
Afris gente ad omnem auram spei mobili atque infida.	Hunni ad omnem auram incidentis spei novæ perquam mobiles,...

Item de Ægyptiis dixit quæ de Siculis tradidit Tullius[3] :

Cic., *Brutus*, 12, 46.	Amm., XXII, 6, 1.
(Siculi) quod esset acuta illa gens et controversa natura...	Ægyptii... genus hominum controversum...

Ejusmodi sunt quæ cum A. Gellianis conspirant[4] :

1. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 4.
2. Hugo Michael, *De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis, dissertatio inauguralis philologica*, Vratislaviæ, p. 4 et 5, notæ ; Bursian, *Jahresbericht*, 3e année, 1874-75, p. 794 et 795.
3. Confer Hugo Michael, *loc. cit.*, p. 19.
4. Confer Mommsen, *Hermes*, XVIII, p. 288.

A. Gell., III, 3, 5.	Amm., XXIII, 6, 77.
Ut illum di perdant primus qui horas reperit.,. Nam me puello venter erat solarium, ubivis sic monebat esse, nisi quom nil erat.	nec apud eos (Persas) extra regales hora est præstituta prandendi, sed venter unicuique velut solarium est, eoque monente quod inciderit editur,...

Quæ autem omnia a variis auctoribus scripta cum Ammianeis verbis non adstricte cohærent. Itaque opinor ea, non ex libris ipsis, sed tantummode ex Nostri memoria fluere [1].

Quam in sententiam eo magis inductus sum quod in his locis ubi Hunnos descripsit, fere iisdem verbis usus est quibus Saracenos [2] :

XIV, 4, 3.	XXXI, 2, 10.
nec eorum quisquam aliquando apprehendit vel arborem colit aut arva subigendo quæritat victum,	Nemo apud eos arat nec stivam aliquando contingit.
sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare sine sedibus fixis aut legibus :	Omnes enim sine sedibus fixis, absque lare vel lege aut victu stabili dispalantur,
§ 4. Vita est illis semper in fuga...	Semper fugientium similes,..........
§ 5. Ut alibi mulier nubat, in loco pariat alio liberosque procul educat...	alibi conceptus, natusque procul, et longius educatus....................

Neque magis a se ipso differt Ammianus in his locis ubi de Parthis Halanisque agitur [3] :

XXIII, 6, 44.	XXXI, 2, 22.
Eosque ita certamina juvant et bella, ut judicetur inter alios omnes beatus, qui in prœlio profuderit animam.	ita illos pericula juvant et bella. Judicatur ibi beatus qui in prœlio profuderit animam,
Excedentes enim e vita morte fortuita conviciis insectantur ut degeneres et ignavos.	senescentes enim et fortuitis mortibus mundo digressos ut degeneres et ignavos conviciis atrocibus insectantur,

Quibus universis notis atque expositis, inquirere nobis fit facilius qua novarum inauditarumque rerum copia atque varietate ejus digressiones polleant.

1. Cf. Mommsen, *Hermes*, XVI, pp. 603 et 607.
2. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 4.
3. Confer Mommsen, *Hermes*, XVI, p. 607.

Ammiani ætate quibus finibus gentium situs determinaretur, eo difficilius indicare fuit, quod complures occupatas terrarum partes non constanter possidebant atque aliæ ab aliis ejectæ plerumque vagabantur. Quapropter a Nostro non multa nova de ea re sunt exspectanda. Et certe aliquot terrarum mutationes jamdiu factas non attigit. Item deplorare licet quod, quas regiones præter imperii romani septentrionales fines ultraque Pontum Euxinum tenebant temporibus illis Barbari, non docuerit posteros. Etenim non ab omni parte nobis satisfacit tum Julii Honorii enumeratio, tum auctoris ignoti enumeratio quæ anno 297 edita est[1].

Nihilominus Ammianus de posteris meruit, quia primus, nisi fallitur animus, et usque ad Gangem fluvium Halanos[2] et usque ad Blemmyarum confinia Saracenos progressos esse enuntiavit[3]. Quæ eum a geographicis investigationibus non alienum esse demonstrantur.

Ammianus autem, non tantum geographus, sed etiam rerum scriptor, in his de quibus disserimus, habendus est. Is enim nonnullis prioribus auctoribus, velut Straboni, Diodori Siculo, Dionysio Halicarnassensi, qui Augusti ætate gentium origines cognoscere studuerunt, adscribendus esse mihi videtur.

Non ideo contendo multa ad hanc rem pertinentia non deesse. Sic fortasse mirabitur aliquis quod de nonnullorum germanorum populorum origine nihil tradiderit. Profecto ex

1. Cf. Müllenhoff, *loc. cit.*, 3. Band., p. 86.

2. Confer Vivien de Saint-Martin, *Étude de géographie ancienne et d'ethnographie asiatique*, 1853, p. 109, 116 et suiv.

Halanos prope Istrum Valerius Flaccus et Seneca collocaverunt; proximos, Roxolanis habuit Plinius; inter Dacos et Tauros eos posuit Dionysius Periegetes. Cf. apud Müllerum : *Geographi minores*, t. II : Dionysium Periegetem, p. 119, nota, V, 305; vide Amm., XXXI, 2, 21 et 16.

3. Saracenos in desertis Mesopotamiæ partibus, et antiquæ Cælesyriæ montibus locavit Strabo, XVI, 2 et seqq.; in Asiatica parte quæ maxime ad Orientem sita, atque in ea Africana parte quæ ad Septentrionem porrigitur, a Pelusio usque ad mare Rubrum, eos posuit Plinius, VI, 8 et seqq. Multo longius in interioribus Africæ terris atque prope Nili cataractas eosdem promovit Ptolemæus, 6, 7. — Vide Amm., XIV, 4, 2.

iis locis ubi de his verba fecit, neque quo pacto, neque quo tempore, neque ex quibusnam populis, neque quibus rebus gestis, tres novi atque ignoti, dico de Francis, Saxonibus, Alamannis, instituti fuerint, cogitatione fingi potest [1]. Non plura de aliquot Orientalium origine, quantum ex ejus libris nobis notis judicare potuimus, reperire licet. Tantum enim abest ut in lucem producat Auctor, unde orti sint Hunni [2] et Saraceni [3]. Sed id, ut censeo, excusandum est.

Enimvero non est dissimulandum temporibus illis adhuc mancam fuisse doctrinam. Quamobrem nemo jure in quemlibet antiquum invehetur scriptorem qui reliquit aliquid intentatum. Ceterum, etiam nostra ætate complurium gentium historiam quasi longe crassiore caligine involutam esse fatendum est.

Attamen consentaneum est eum primum Halanorum Burgundionumque originem indicasse [4].

Quod ad gentium habitum et cultum inspiciendi facultatem spectat, præcipue laudandus esse mihi videtur, quod Hunnos usque ad hanc ætatem ignotos, vel ex suis, vel ex alienis investigationibus, ita depinxit ut quales ante suos mercatorumve oculos positi sunt, tales a legentibus quoque aspiciantur. « Ubi quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genæ, inquit, ut pilorum vigor tempestivus emergens conrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque nulla vetustate, spadonibus similes, compactis omnes firmisque membris et opimis cervicibus prodigiosæ

1. Confer Fustel de Coulanges, *L'invasion germanique et la fin de l'Empire*, ed. Jullian, 1891, p. 243.

2. Attamen de Hunnorum origine percunctatum esse Ammianum conjectura consequi licet ex hoc loco « nullusque apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest » (Amm., XXXI, 2, 10).

3. Ammianus ipse nos certiores fecit « diversis in locis » plura de Saracenorum origine rettulisse (XXVI, 31, 1, 6, 5). Hæc autem desunt in his libris qui supersunt. Confer ed. Gardthausen, vol. I, p. 4: Perditorum librorum reliquiæ.

4. Confer Vivien de Saint-Martin, *Études de géographie ancienne et d'ethnographie asiatique*, 1853, p. 109, 116 et suiv., et notes, et Amm., XXVIII, 5, 11, XXXI, 2, 13.

formæ et pavendi ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte...

« Indumentis operiuntur linteis vel ex pellibus silvestrium murum consarcinatis, nec alia illis domestica vestis est, alia forensis. Sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur aut mutatur quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata. Galeris incurvis capita tegunt, hirsuta crura coriis muniendis hædinis, eorumque calcei formulis nullis aptati vetant incedere gressibus liberis[1]. »

Brevius quidem expressa, sed non minus novitate insignia sunt quæ de corporis habitu Persis proprio inspicienda curavit. Nihil enim reperias apud priores aut æquales scriptores, tam exactum atque absolutum quam hæc Nostri pictura.

« Primores graciles pæne sunt omnes, inquit, subnigri vel livido colore palentes caprinis oculis torvi et superciliis in semiorbium speciem curvatis punctisque non indecoribus barbis capillisque promissis hirsuti[2]. » Quin etiam, si Khanikoff viro quidem judicio erudito fides habenda sit, in his depingendis arabis scriptoribus præstat Ammianus. « Les auteurs arabes sont beaucoup plus satisfaisants sous certains rapports que les anciens, dit-il, quoique aucun d'eux, autant que je sache, n'ait fait un portrait aussi complet du Persan que le contemporain de l'empereur Julien »[3].

Eodem modo ad Ammianum referenda esse puto quæ de Halanorum statura, capillis, vultu, legimus : « Proceri autem Halani pæne sunt omnes et pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorum temperata torvitate terribiles »[4]. Sed de eorum vestitu multa apud Nostrum desideranda sunt. Neque idem nobis satisfecit his verbis quæ ad Saracenos pertinent : « Se-

1. XXXI, 2, 2, et seq.
2. XXIII, 6, 75.
3. *Mémoire sur l'Ethnographie de la Perse*, 1866, p. 119. Confer *Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft*, Leipzig, 1865 ; *Die Religion und Sitte der Perser und übrigen Iranier nach den griechischen und römischen Quellen*, von Dr A. Rapp, p. 17.
4. XXXI, 2, 21.

minudi coloratis sagulis pube tenus amicti »[1]. Hæc autem, quæ nimis brevia sunt habenda, tantummodo ei sunt tribuenda.

Ambigitur vero utrum quæ de forma Gallorum externa attulit, ea ex suo ingenio petiverit, necne. Si Gardthausenio[2] nonnullisque eruditis viris[3] fidem tribuere velis, haud dubium est quin Marcellinus, quos Gallos vidit, eos descripserit. Quod iis comprobari videtur hoc loco ubi gallicarum mulierum fortitudinem et robur extollit : « Nec enim eorum quemquam adhibita uxore rixantem, multo fortiore et glauca, peregrinorum ferre poterit globus, tum maxime cum illa inflata cervice suffrendens ponderansque niveas ulnas et vastas admixtis calcibus emittere cœperit pugnos ut catapultas tortilibus nervis excussas »[4]. Certe fieri potuit ut Noster in quadam rixa interesset ubi gallicam uxorem pro marito pugnantem videret. Sed hæc Ammiani verba de mulieribus gallicis « glauca.... niveas ulnas... et vastas pugnos ut catapultas tortilibus nervis excussas » non magis recte quam ea quæ de viris attulit « celsioris staturæ et candidi pæne Galli sunt omnes et rutili...... pectoris robore .... gelu duratis artubus et labore assiduo »[5], ad eos qui quarto vixerunt sæculo, referenda esse opinor. Etenim jamdiu Galli cum Romanis aliisque populis ita commixti erant, ut dubium sit eos tunc tales esse quales depinxit Ammianus. Probabilius habendum est iis vultus colorem minus candidum,

1. XIV, 4, 3.

2. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 5.

3. Cf. « Et comme il nous apprend lui-même qu'il avait été dans les Gaules, vingt-deux ans auparavant (l'année 378) avec le général Ursicin à l'occasion de la révolte de Sylvain et qu'il en put sortir en 356, quelques mois après l'arrivée de Julien, on peut être sûr qu'il peint la nation comme elle était alors, et telle qu'il l'observa » (Guizot, *Mémoires sur l'histoire de France*, Introd., p. 269).

« On comprend tout de suite qu'Ammien a vu, qu'il a vécu parmi les Gaulois dont il parle » (Belloguet, *Ethnogénie gauloise*, loc. cit., 2e partie, 1872, p. 86).

Confer quoque Zeller, *Entretiens sur le moyen âge*, t. I, p. 185.

4. XV, 12, 1.

5. XV, 12, 1 et 3.

capillos minus rutilos, corpora minus robusta fuisse quam prioribus Gallis.

His adde quod, Galli quos descripsit Noster, ii Germanis a Tacito Polyenoque descriptis similes sunt[1]. Utrique enim genti idem color, iidem capilli sunt. Neque multo differt Gallorum Ammiano æqualium statura ab Alamannorum « grandissimis... corporibus »[2]. Satis autem convenit veteres in suis libris componendis Gallos cum Germanis sæpius confudisse. Sic Cæsar Gallos nominavit eos germanos populos, qui Belgicam nuper occupaverant[3].

Attamen a Belloguet dissentio qui contendit Marcellinum nostrum Gallos Germanis descripsisse similes quia septentrionales vidisset, Rheno proximos et cum Germanis mixtos ideoque robustiores[4]. Nam fieri quoque potuit ut septentrionales Galli cum Romanis sint commixti. Præterea, non mihi satisfecit hoc argumentum ab eodem scriptore inde sumptum quod Noster in loco jam supra allato Gallos ab Aquitanis distinxit.

Nam hæc, non modo ex Cæsare, ut vidimus, sunt deprompta, sed etiam infirmantur alio loco ubi Gallos cum Aquitanis conjunctos descripsit Ammianus[5]. Qua re adducor ut, non modo de septentrionalibus Gallis, sed etiam de universis locutum esse auctorem censeam.

Quibus igitur perpensis, in hanc conjecturam inducor haud pauca ac fortasse omnia ab Ammiano scripta de Gallorum habitu non ex ipsius investigationibus fluere, sed ex complurium scriptorum lectione qui Augusti ætate eadem attigerant, Gallosque Germanis similes depinxerant. Etenim si quos locos intuitus eris ubi Livius, Cæsar, Diodorus Siculus, ne plures afferam, Gallos describere studuerunt, iis animadvertes Ammianea respondere[6].

1. Cf. Belloguet, *Ethnogénie gauloise*, 1872, 2e partie, p. 86.
2. XVI, 12, 47.
3. II, 30, *De Bell. Gall.*
4. *Loc. cit.*, p. 89.
5. XV, 12, 2.
6. Livius « formas hominum inusitatas », V, 35; « corpora animosque ma-

Quæ sententia confirmatur iis Ammiani locis, vel præcedentibus, vel sequentibus, in quibus de ejusdem populi studiis moribusque agitur. Constat enim, Cæsaris et Augusti ætate a veterum bellicis studiis Gallos multum descivisse. Præterea Strabo ipse nos docet eosdem promptos ad pugnandum se ostendisse, quod priscorum temporum potius meminisset quam recentiorum, Gallosque Germanis institutis similes cognatosque habuisset[1]. At probabile est quarto sæculo Galliæ incolas a Romanis jamdiu devictos magis effeminatos fuisse quam Cæsaris ætate. Quibus de causis suspicor Ammianum nihil aliud egisse quam ex græco in latinum transtulisse quæ apud Timagenem de veterum Germanis similium fortitudine legisset[2].

Eadem ratione, ut mihi videtur, non dubitavit Auctor commemorare quæ apud Tullium de propensione Gallorum ad vinum legerat. Etenim, quanquam Desjardins[3], vir quidem eruditissimus, Marcellinum ipsum Gallos in Gallia comata ebrios vidisse asseveravit, tamen minime omittendum est hoc vitium complures priores auctores, et Polybium, et Diodorum Siculum et Tullium[4], notavisse, nullum autem, quantum scio, Ammiano æqualem aut fere æqualem scriptorem.

Noli tamen putare aliorum populorum studia moresque ipsum Marcellinum nostrum non investigasse. Quorum ut pote qui miles esset quo tempore barbaros in imperii romani fines irruere, nobiles autem a re militari discedere constat[5], non

gua magis quam forma »; « ... certamen omne plus terroris quam virium ferant », v. 44; « procera corpora fusa et candida corpora », II, 8, 21.

Cæsar, *De Bell. Gall.*, II, 30; Diod. Sic., V, 28, 32 et seq.

1. Desjardins. *Géographie de la Gaule romaine*, 1878, t. II, p. 556 et 557.

2. Desjardins, *loc. cit.*, t. II, 1878, p. 555 et 556 : « Il serait possible qu'Ammien Marcellin, accompagnant l'empereur Julien sur la frontière de la Germanie, eût assisté, dans quelque campagne du nord de la Gaule, à un de ces pugilats féminins qui témoignaient si hautement en faveur de la vigueur de nos aïeules, mais ce ne pouvait être qu'un reste des anciennes mœurs, reléguées pour ainsi dire dans les régions du nord : il est plus naturel de reporter cette peinture à sa véritable époque, en supposant ces détails de mœurs empruntés à Timagène. »

3. *Géographie de la Gaule romaine*, t. II, 1878, p. 560.

4. Polybe, III, 1; Diod., V, 26; Amm., XV, 12, 4; Athénée, IV, 13.

5. Cf. Veget., I, 5, 7; Fustel de Coulanges, *L'invasion germanique et la fin de l'Empire*, 1891, p. 223 et 224.

potuit quin animum atteuderit ad bellica studia perspicienda. Primus est enim qui Hunnorum et Saracenorum immanitatem feritatemque notavit[1]. Neque, quantum scio, apud alium priorem auctorem legi possunt ea quæ de Halanis tradidit : « Nec quicquam est quod elatius jactent quam homine quolibet occiso, proque exuviis gloriosis interfectorum avulsis capitibus detractas pelles pro phaleris jumentis accommodant bellatoriis[2].»

Ob easdem causas, Marcellinus, etsi Romanorum disciplinæ militari laudes tribuit, fidemque adhibuit, tamen ad externarum gentium rem militarem cognoscendam se applicavit. Unde fit ut in ejus excursibus nonnulla nova inveniri possint quæ ad eam rem spectant. Talia sunt quæ de Hunnorum armis certandique ratione retulit. « Et pugnant, inquit, nonnunquam lacessiti, sed ineuntes prœlia cuneatim variis vocibus sonantibus torvum. Utque ad pernicitatem sunt leves et repentini, ita subito de industria dispersi vigescunt, et incomposita acie cum cæde vasta discurrunt, nec invadentes vallum nec castra inimica pilantes præ nimia rapiditate cernuntur. Eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul missilibus tèlis, acutis ossibus pro spiculorum acumine arte mira coagmentatis, et distantia percursa comminus ferro sine sui respectu confligunt, hostisque dum mucronum noxiàs observant, contorsis laciniis inligant, ut laqueatis resistentium membris equitandi vel gradiendi adimant facultatem »[3]. Neque minus accurate intuitus est quæ ad Halanorum bellicas virtutes et militarem cultum pertinebant, ut ex his locis judicari potest « juventus vero equitandi usu a prima pueritia coalescens, incedere pedibus existimat vile et omnes multiplici disciplina prudentes sunt bellatores..... et armorum levitate veloces,.....[4]. »

1. XXXI, 2, 1; XIV, 4, 1.
2. XXXI, 2, 22.
Ammadvertit tamen Ammianus Halanos Hunnis « per omnia suppares » esse « victu mitiores et cultu », XXXI, 2, 21.
3. XXXI, 2, 9.
4. XXXI, 2, 20, 21.

Denique ad nullum alium auctorem, nisi ad ipsum Ammianum, qui in Corduenen missus est ut incolarum consilia perspiceret et cum his pugnavit, referenda esse mihi videntur quæ de Persarum re militari scripta sunt. « Militari cultu ac disciplina proludiisque continuis rei castrensis et armaturæ, quam sæpe formidavimus, metuendi vel exercitibus maximis, equitatus virtute confisi, ubi desudat nobilitas omnis et splendor. Pedites enim in speciem mirmillonum contecti jussa faciunt ut calones. Sequitur semper hæc turba tanquam addicta perenni servitio nec stipendiis aliquando fulta nec donis[1]. »

Auctor autem, non tantum miles et quasi romanus, sed etiam privatus et græcus, vidit externas gentes. Ex quo profectum est, ut permulta diversaque cognoscendi cupidus atque ad alia ac bellica studia in earum natura deprehendenda esset propensus. Nonne enim Persarum, temperantiam[2], Ægyptiorum seditiosum indolem, Hunnorum mobile ingenium aurique immensam cupidinem notavit[3] ?

Eadem ratione adductus est, dum gentium mores intueretur ad alia atque ad rem militarem pertinentia carpenda. Sed in eo præsertim de posteris meruit, quod nomadum vitam accuratissime perspexit[4]. Nullus vero prior scriptor eam vagam vitam descripserat quam agebant Saraceni. Marcellinus autem, utpote qui Antiochiæ natus esset atque vel amicus vel hostis Saracenos in Oriente novisset, eam non neglexisset inspiciendam[5]. Quid enim ad legentium aptius quam hæc, ab illo tradita! « ...... equorum adjumento pernicium camelorum per diversa se raptantes, in tranquillis vel turbidis rebus : nec eorum quisquam aliquando stivam adprehendit, vel arborem

1. Sic censere videtur Guizot : confer Gibbon, *Histoire de la décadence de l'Empire romain*, 1828, t. II, p. 38, note 1 : « Herodien, VI, p. 214; Ammien, XXIII, 6. On peut observer entre ces deux historiens quelque différence; effet naturel des changements produits par un siècle et demi ».

2. XXIII, 6, 83.

3. XXIII, 76 et seq.; XXII, 16, 23; XXXI, 2, 11. — Confer Mommsen, *Hermes*, XVI, p. 629.

4. XXXI, 2, 3 et 3 et seq.; XXXI, 2, 17 et seq.

5. XVIII, 6, 17; XXV, 10, 1; XIX, 8, 12; — Conf. Gardthausen, *loc. cit.*, p. 4 et 5.

colit aut arva subigendo quæritat victum, sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare sine sedibus fixis aut legibus : nec idem perferunt diutius cælum aut tractus unius soli illis unquam placet. Vita est illis semper in fuga uxoresque mercenariæ conductæ ad tempus ex pacto atque, ut sit species matrimonii, dotis nomine futura conjunx hastam et tabernaculum offert marito, post statum diem si id elegerit discessura, et incredibile est quo ardore apud eos in venerem uterque solvitur sexus. Ita autem quoad vixerint, late palantur, ut alibi mulier nubat, in loco pariat alio liberosque procul educat nulla copia quiescendi permissa. Victus universis caro ferina est lactisque abundans copia qua sustentantur, et herbæ multiplices et si quæ alites capi per aucupium possint et plerosque nos vidimus frumenti usum et vini penitus ignorantes[1]. »

Multo minus de suo adjecit in his locis ubi de Persarum moribus verba fecit[2]. Attamen hæc nova mihi videntur habenda quæ ad eorum temperantiam prudentiamque attinent. « Immane quantum restricti et cauti, inquit, ut inter hostiles hortos gradientes nonnunquam et vineta, nec cupiant aliquid nec contingant venenorum et secretarum artium metu[3]. » Mirandum est enim quod, quos ebrietati deditos esse dixerat Herodotus, eos sua ætate temperantes esse existimaverit Marcellinus.

Quod ad Germanos pertinet, ut animadvertit Fustel de Coulanges, non plura attulit nova Ammianus quam nonnulli auctores, velut Herodianus, Dio Cassius, historiæ Augustinæ scriptores qui Tacitum secuti sunt[4]. Atque, ni fallor, pleraque ex prioribus scriptoribus desumpta sunt. Attamen alia sunt dubia. Talia sunt quæ de Taifalis scripsit, XXXI, 9, 5. Eadem vero priores auctores de variis populis, Aristoteles (*Polit.*, II, 6, 6), de Celtis, Posidonius (Diod., V, 32; Strab., IV, 6;

1. XIV, 4, 3 et seq.
2. Conf. p. 67 nostri opusculi, nota *a*.
3. XXIII, 6, 78.
4. *L'Invasion germanique et la fin de l'Empire*, 1891, p. 241 et 242.

Athen., XIII, p. 903; Ptolem., *Tetrab.*, II, 4), de septentrionalibus barbaris, S. Empiricus (*Hypotyp.*, III, 199), de Germanis, Bardesanus (ap. Euseb., *Præp. Evangel.*, VI, 10, 27), de Gallis et Germanis, retulerant. Is autem posteros docuit XXVII, 4, 2, per Thracias se peregrinatum esse. Ex quo fit ut hujus populi Danubio proximi mores ipse inspicere potuerit. Sed de ea re nihil certi afferre nobis licet.

Hactenus de moribus ut ad alia transeamus.

Satis vero convenit inter doctissimos viros quarto sæculo plerosque Romanos in id vertisse mentem ut externarum gentium res divinas interpretarentur et colerent[1]. Atque non est improbabile Ammianum peregrinantem suorum æqualium studiis obsecutum esse. Certe multum abfuit quin explanaverit quæ Persarum, Gallorum, Germanorum, Saracenorum mentem opinio imbuerit. Vix nonnulla nova reperies in hoc loco ubi posteros certiores fecit Magos a Brachmanibus quasdam disciplinas accepisse[2]. Contra in eo aliquam curam posuisse mihi videtur ut cognosceret quomodo dii colerentur ab iis gentibus quas intuitus est. Itaque apud eum hæc de Taurorum sacris scripta legere licet quæ apud nullum priorem auctorem reperivimus : « Dis enim hostiis litantes humanis et immolantes advenas Dianæ quæ apud eos dicitur Orsiloche cæsorum capita fani parietibus præfigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum[3]. » Neque ad alium auctorem, quantum id definire potui, referenda sunt quæ ad Germanos pertinent « mucronibus quos pro numinibus colunt[4] ». Idem, quippe qui velut plerique ejusdem ætatis homines futura præsentiendi disciplina esset imbutus[5], in rebus divinis

1. Cf. Bouché-Leclercq, *Les pontifes de l'ancienne Rome*, Paris, 1871, p. 414 ; Boissier, *La fin du Paganisme*, t. II, p. 207 et 235 : *Revue des Deux-Mondes*, 1er mars 1890, p. 56 : *Études d'histoire religieuse* : *Le Christianisme et l'Invasion des Barbares* ; F. de Coulanges, *L'Invasion germanique*, 1891, *loc. cit.*, p. 220.

2. Cf. Wagner, *Comm. in Amm.*, ed. Erfürdt, 1808, t. III, f. 30 ; Gibbon, *Hist. de la décadence de l'Empire romain*, ed. Guizot, 1828, t. II, p. 19, note 2.

3. XXII, 8, 33.

4. XVII. 12, 21.

5. XIV, 17 7 ; XXI, 1 ; XXVIII, 4 ; XXIX, 25 ; XVII, 10, 2 ; XXIII, 5, 10. — Con-

præcipue quæ apud externas gentes ad eam attinebant, investigavisse mihi videtur. Cujus rei nonnihil indicii mihi præbent quæ de Magorum atque Alexandrinorum religionibus tradidit [1].

Is autem, quantum ex ejus libro judicari potest, non se attentum præbuit ut definiret quos peregrinos ritus, vel ascivissent, vel neglexissent Galli aliique populi a Romanis devicti. Satis enim notum est Ammiani ætate Gallorum sacerdotes non esse Druidas quorum meminit Ammianus, atque gallicam religionem cum Romanorum religione mixtam [2].

Quæ de externarum gentium institutis civilibus exposuit, his erudito lectori fortasse non satisfaciet Marcellinus noster. Certe ex iis rebus quæ apud Germanos [3], Gallos [4], Ægyptios, usque ad ejus ætatem servatæ erant vel obsoleverant, multæ desunt. Attamen de ceteris populis res maximi momenti suis digressionibus interdum inserere non omisit quæ aut acceperat, aut perspexerat. Nonne enim Romanos docuit quo modo ducendi uxorem uti solerent Saraceni [5]? Nonne primus significavit non tantum sacerdotes atque ordinem sed etiam gentem medici populi esse Magos [6]? Nonne primus æquales certiores fecit quanta summo Burgundionum sacerdoti esset potestas [7]? Neque minus laudandus est quod in Persarum æqualium legibus jusque reddendi ratione sit immoratus [8]. Qui fateor, non majorem curam quam veteres plerique adhibuit ut quænam initio fuerint instituta, quoque modo sensim

fer de Broglie, *L'Église et l'Empire romain au IVe siècle*, Paris, t. III. p. 155. 156.

1. XXIII. 6, 32; XXII, 16, 17.

2. Fustel de Coulanges, *La Gaule romaine*, éd. 1891, p. 118 et 119 et 327.

3. Confer Fustel de Coulanges, *L'Invasion germanique*, 1891, *loc. cit.*, p. 241, 242, 279 et seq.

4. Id., *La Gaule romaine*, loc. cit., p. 235.

5. XIV, 4, 4; XXIII, 6, 34 et seq.

6. Amm., XXIII, 6, 34. Gibbon, t. II, p. 19, note 2; t. IV, p. 34, 2; J. Darmesteter, *Études iraniennes*, t. I, p. 12, et t. II, p. 18 : « Ammien Marcellin nous atteste l'existence d'un état sacerdotal mage en Médie..... » « Mage n'est qu'un ethnique; le mot ne signifie point « prêtre », mais membre de la tribu des Mages. »

7. XXVIII, 5, 14; confer Jahn, *Die Geschichte der Burgundionen*, 1. Band, Halle, 1874, p. 82 et 83.

8. XXIII, 6, 81 et 82.

mutata, percunctaretur. Animadvertit tamen apud Persas aut « cessavisse » aut fictum fuisse hunc morem quo « supersidere corio damnati ob iniquitatem judices judex alius cogebatur » [1].

Idem non abstinuit a novis sententiis de iis publicis rebus, quæ apud quosdam populos usque ad hoc tempus servatæ fuerant. Nonne enim primus indicavit quibus in casibus Burgundiones regi [2] summam potestatem adimere solerent? Imo notavit quid peculiare inesset Hunnorum conciliis : « Et deliberatione super rebus proposita seriis, inquit, hoc habitu omnes in commune consultant. Aguntur autem nulla severitate regali » [3]. Neque ignorasse videtur quæ secundo vel tertio sæculo apud Germanos mutata fuerunt. Nonnulla enim deprehendere licet, ut animadvertit Fustel de Coulanges, quæ multum discrepant ab iis quæ de eodem populo exposuerat Tacitus [4].

Denique Ammianus, quippe qui natione Græcus atque ab adolescentia prima liberalibus disciplinis esset institutus, litteras artesque, dum terras perlustraret, quæ apud Ægyptios tunc florebant, cognoscendi fuit studiosus. Itaque, quanquam in auxilium vocavit auctores, qui eadem priore ætate tractaverant, nonnulla tamen curiose comperta visaque de publicis Ægypti ædificiis, Pharo, bibliotheca, Serapeo, atque artibus disciplinisque in urbe Alexandria tunc cultis retulit [5]. Quod hic locus satis declarat : « Et quanquam veteres cum his quorum memini floruere complures, tamen ne nunc quidem in eadem urbe doctrinæ variæ silent; nam et disciplinarum magistri quodam modo spirant et nudatur ibi geometrico radio quicquid reconditum latet, nondumque apud eos penitus exaruit musica, nec harmonica conticuit, et recalet apud quosdam adhuc licet raros consideratio mundani motus et side-

1. XXIII, 6, 82.
2. XXVIII, 5, 14. Vide Jahn, *loc. cit.*, 1. Band, p. 79 et suiv.; Gibbon, ed. Guizot, 1828, *loc. cit.*, t. V, p. 67.
3. XXXI, 2, 7.
4. Cf. Fustel de Coulanges, *L'Invasion germanique*, loc. cit., 1891, p. 279 Amm., XVII, 12, 21; XVIII, 2, 13; XXVII, 5.
5. XXII, 6, 7, 12, 13, 17 : confer Mommsen, *Hermes*, p. 629.

rum, doctique sunt numeros haud pauci, super his scientiam callent quæ fatorum vias ostendit. Medicinæ autem, cujus in hac vita nostra nec parca nec sobria desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur in dies, ut, licet opus ipsum refellat, pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum[1]. » Rursus nihil suo in libro tradidit de iis disciplinis atque artibus quæ quarto sæculo in Gallia viguerunt et de præclaris viris ex hujus regionis scholis ortis qui in romanis litteris versati sunt[2]. Ammianus enim, ut supra vidimus, tantummodo eos Gallos novit quos veteres scriptores, vel græci, vel latini descripserant. Quod tibi confirmabitur hoc loco « Per hæc loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum inchoata per bardos, euhages et drasidas[3]. » Quæ non in ejus ætatem, sed in priorem, incidunt.

Ex iis quæ exposuimus, est in promptu Ammiani doctrinam in his digressionibus quæ ad externas gentes spectant, non tantam esse quantam ipse æqualibus persuadere studuit. Haud dubium esse enim videtur quin in populis jam notis describendis plurima priorum auctorum studiis is tribuerit. Attamen ex his populis quatuor Thracios, Persas, Medos, Ægyptios, non quales veteres ostenderant, sed quales ipse suo tempore viderat, nonnullis in locis, eum posteris interdum proposuisse libentius existimo. Eodem modo, quanquam ad complures Occidentis populos adhuc obscuros, Francos, Saxones, Alamannos, . : accurate inspiciendos non sese applicavit, tamen nonnulla de Burgundionum origine institutisque suo libro inseruit, quæ nemo alius tradiderat. Denique de re geographica laudes meruit, quod, quas orientales gentes nullus scriptor antea descripserat atque incerta fama ad romanorum civium cognitionem tantummodo transtulerat, eas cuique quasi in speculo cernendas curavit. Etenim in eo præ-

1. XXII, 16, 17 et seq.
2. Cf. Fustel de Coulanges, *L'Invasion germanique*, 1891, p. 214; Boissier, *La fin du Paganisme*, t. II, p. 178.
3. XV, 9, 8.

cipue conspicuum est ingenii acumen quod nonnulla, nova, inaudita, magni momenti, quæ priorum auctorum peregrinatorumque oculos et animum fugerant, de his mirum in modum perspexit. Respice quam multa ignota Romanis antea essent de Hunnis, Saracenis, Halanis! Ex quibus aliquot varia attigit Noster et fines, et originem et corporis habitum, et vestitum, et victum et vagam vitam, et indolem, et studia bellica, et pugnandi rationem, et instituta. Non me tamen fugit eumdem non eruditissimo lectori ab omni parte satisfecisse, multaque in ejus digressionibus esse desideranda quæ ad complures gentes terrarum tunc notarum pertinent. Sed hoc excusari potest eo quod nostra etiam ætate qua clarorum virorum summa diligentia ad hæc cognoscenda plurimum attulit, haud pauca reperire licet adhuc manca atque imperfecta.

CAPUT III

Quæ Ammiano fides sit habenda.

Superiore dissertatione quæ Ammiani ingenio tribuenda essent, quæ desideranda, in lucem producere studuimus; nunc, ut propositum munus pro viribus impleamus, aliquid nobis faciendum superest : ut quæ auctori fides habenda sit, expendamus.

Ac primum quidem, id est dignum quod animadvertatur Ammianum suum veritatis patefaciendæ amorem in hoc loco commendasse : « opus veritatem, inquit, professum nunquam, ut arbitror, sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio »[1].

Neque quidquam est cur ejus testimonium in dubium vocari debeat. Etenim quam simplici et ab omni simulatione alieno fuerit animo, apparet in his verbis ubi quæ ignoravit, prædicare non dubitavit « juxtaque Massagetæ Halani et Sargetæ, aliique plures obscuri, quorum nec vocabula nobis sunt nota nec mores[2] ».

Ad hoc accedit quod Ammiani adeo sincera fuit fides, ut se alia vidisse, alia legisse[3], legentes præmonere voluerit. Neque lecta atque ex variis libris assumpta ad formam quamdam et speciem jam ante mente conceptam invertere et detorquere plerumque studuit, sed qualia apud priores scriptores legerat, talia suis digressionibus sæpius inseruit. Quod manifestum est in locis quos in fontibus inquirendis supra attulimus. Cuique vero ad externas gentes describendas sese appli-

1. XXXI, 16, 9.
2. XXII, 8, 3; vide quoque XV, 3, 6.
3. XXII, 8, 1.

canti cavendum est ne suo ingenio, suæ in patriam pietati, suis studiis indulgeat.

Itaque nobis quærendum est utrum id Ammiano obversatum sit, necne. Sane me non fugit eum prioribus[1] æqualibusque civibus assentatum esse necnon romani dominatus amore abreptum se præstitisse in hoc loco ubi Ægyptios magis quam par est, insectatus est[2]. Atque Mommsenio assentior qui Ammianum de his velut coactorem locutum esse contendit[3]. Noster enim non solum eorum vitia plus justo vituperavit, sed etiam quasdam virtutes, lenitatem, humanitatem, temperantiam, industriam, eis proprias atque procul dubio tribuendas silentio immerito præteriit[4].

Neque tamen inde sequitur multarum gentium vituperatorem ducendum esse. Namque et Serum et Galactophagum et Hyrcanorum, et Iaxartarum et Abiorum et Arimphæorum, et Persarum, et Halanorum, et Gallorum, et Parthorum, ut alios omittam, virtutes non dissimulavit[5]. Ex quibus celebravit, non tantum eas lenes, velut pudorem, verecundiam, temperantiam, justitiam, pietatem, sed etiam illas, quæ, velut fortitudo, Romanis maxime dignæ laude videbantur.

Eadem ratione, etsi Romanos rei militaris scientia præstare persuasum habuit, tamen non reticuit aut extenuavit quod valere sibi videbatur in ea belli gerendi ratione qua hostes uti solebant[6]. Neque nimia in Romam pietate alienarum gentium ritus institutaque improbavit.

Nihilominus ansam ad reprehendendum dedit quod, complurium græcorum latinorumque scriptorum more, numina sua atque instituta barbaris nonnunquam attribuit. Sic, Scor-

1. Cf. Duruy, *Hist. des Romains*, 1885, t. V, p. 96; Vopiscus, *Saturn.*, 8 : Lettre d'Adrien à Servianus.

2. XXII, 6, 1 ; XXII, 16, 23.

3. *Histoire romaine*, traduction Cagnat et Toutain, 1889, t. XI, p. 190.

4. *Ibid.* et Perrot, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, Paris, 1886, t. I, p. 41 et 42 ; cf. Brugsch-bey, *Histoire de l'Égypte*, p. 14-15.

5. XXIII, 6, 68 ; XXIII, 6, 62; XXIII, 6, 50 et seqq. ; XXII, 8, 38; XXIII, 6, 76 et seq. ; XXXI, 2, 20 ; XV, 12, 1.

6. XXXI, 2, 9 ; XXXI, 2, 20 et 21 ; XXIII, 6, 83.

discis Martem et Bellonam[1], regi Grumbati fetialem hastam, falso assignavit[2]. Sic, si Belloguet fidem adhibere liceat, is, græci ingenii admirator, erravit in hoc loco ubi commemoravit Druidum instituta ad Pythagoram esse referenda[3]. « Inter eos drasidæ, ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodaliciis adstricti consortiis... ».

Is autem, Græcos ab Ægyptiis sacra accepisse contendentem Herodotum secutus est « hac institutus, inquit, prudentia Pythagoras colens secretius deos, quicquid dixit aut voluit auctoritatem esse instituit ratam, et femur suum aureum apud Olympiam sæpe monstrabat et cum aquila colloquens subinde visebatur. Hinc Anaxagoras lapides e cælo lapsuros et putealem limum contrectans tremores futuros prædixerat terræ »[4]. Quin etiam, sive objurgationibus cives admonere et ad meliora revocare voluerit, sive veritatis dicendæ studio sit impulsus, Persarum judicibus laudatis, Romanos judices illius ætatis illudere ausus est, nedum æqualium præco seu laudator sit habendus. « Ad judicandum autem usu rerum spectati destinantur et integri, inquit, parum alienis consiliis indigentes, unde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos jurisque publici peritissimos post indoctorum conlocat terga »[5].

Constat enim Marcellinum nostrum æqualium vitia non reticuisse. Testes illæ reprehensiones sane acerbæ quibus in nobilium ac plebis romanæ mores invectus est « alii nullo quærente vultus severitate adsimulata patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum ut puta feracium multiplicantes annuos fructus, quæ a primo ad ultimum solem se abunde jactitant possidere..... Mensarum enim voragines et varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto

1. XXVII, 4, 4. Confer Grote, *Histoire de la Grèce*, trad. de Sadous, t. I, p. 36.
2. XIX, 2, 6. Cf. Diefenbach, *loc. cit.*, p. 185; *Hermes*, XVI, p. 607.
3. XV, 9, 8. Cf. Belloguet, *Ethnogénie gauloise*, 2e partie, *loc. cit.*, p. 321.
4. XXII, 16 21.
5. XXIII, 6, 82.

illuc transiturus quod quidam per ampla spatia urbis subversasque silices sine periculi metu properantes... et est admodum mirum videre plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso cum dimicationum curilium eventu pendentem »[1]. Testes quoque illi loci ubi multos senatores ac senatorii generis feminas Romæ veneficiorum, stuprorum et adulteriorum accusatos esse posteris retulit[2].

Sed non satis est scriptorem in populis externis describendis æquo animo atque sano integroque judicio usum esse; ad hoc ei cura adhibenda est ut fidem operi ferat. Qua re haud dubie non abstinuit Ammianus. Is enim, quum nihil antiquius habuerit quam vera dicere, non tantum ad multos auctores nomine quidem non addito testes, sed etiam, ut supra vidimus, ad nonnullos nominatim afferendos curam contulit. Quod vero, aliis per quos profecerat nominatim allatis, alios præteriit ex quibus permulta manifesto hauserit, eum non reprehendendum esse puto. Nam, ni fallor, non id dissimulare voluit, sed imitatus est quod plerique prioris temporis scriptores, Strabo, Livius, Tacitus, ut alios omittam, jam effecerant, qui tantum in auctorum dissensu indicando, vel in memorabilibus singularibusque rebus commemorandis, fontes declaraverant quos in auxilium vocavissent.

Atqui ne præcipiti judicio fallat lectores, auctoris opinionem non temere sequi solet.

Etenim quodam loco, non modo eos testes habuit scriptores quorum tradita retulit, sed etiam addidit se ipsum eadem vidisse. Sic XXIII, 6, 30 « ut scriptores antiqui docent, nosque vidimus. » Alibi, quorum incolarum asseverationem protulit, eorum suo testimonio confirmavit, ut in hoc loco, XV, 9, 6 : « Regionum autem incolæ, inquit, id magis omnibus asseverant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum ». Subinde quidem vulgarem famam secutus

1. Confer XIV, 6, 10, 16 et seq.
2. XXVIII, 1.

est, ut ex his verbis liquet « accepi »[1], « accepimus »[2], « feruntque »[3]; sed nonnunquam caute, quippe qui his « si justum est credi[4] » adjecerit.

Quæ omnia sunt probi et studiosi scriptoris.

At probati historici ostendere est ut fidem faciat, se non modo ex vano nihil assumpsisse, sed etiam non spernendis atque idoneis auctoribus usum esse. Ammianus vero, etsi nonnullos adhibuit, velut Timagenem[5], Solinum[6], Rufum Festum[7], quorum auctoritas in dubium nostra ætate vocatur, tamen haud exiguam meruit laudem quod nonnullis gravioribus confisus est. Percense enim universos quos ascivit : quantam doctorum turbam quibus fidem habendam esse complures viri judicio eruditissimi existimant ! Et Homerum, et Thucydidem, et Platonem, et Herodotum[8], et Eratosthenem, et Sallustium, et Tullium, et Ptolemæum, et alios quos enumerare possim.

Noli tamen credere Nostrum non discrevisse eos qui a veritate recesserint. Sic, XXIII, 6, 1 : « Res adegit huc prolapsa, ut in excessu celeri situm monstrare Persidis descriptoribus gentium curiose digestum e quibus vera dixere paucissimi » ; XV, 9, 2 « Ambigentes super origine prima Gallorum scriptores veteres notitiam reliquere semiplenam ». Ex quibus conjicere possumus, Ammianum ad externas gentes describendas sese applicantem, qui fontes essent potissimum adeundi, examinasse.

Ut in scriptorum delectu, sic in rerum quoque quas exposi-

1. XXXI, 2, 16.
2. XXXI, 9, 5.
3. XXIII, 6, 34.
4. *Ibid.*
5. « Timagène n'était qu'un pauvre esclave parvenu dont le mérite même demeure toujours un peu suspect malgré les éloges que lui donnent Ammien et Quintilien » (A.-E. Egger, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, p. 284).
6. Teuffel, *Histoire de la littérature romaine*, trad. franç., t. III, p. 94 ; cf. Mommsen, *Solini collectanea*, ed. 1864, Præf., p. 9.
7. Croiset, *Revue des Études grecques*, t. I, 1888 : *La véracité d'Hérodote*, p. 159, 160, et *Histoire de la littérature grecque*, t. II, p. 582-586.
8. Vidal de La Blache, *loc. cit.*, p. 547.

turus erat, sano et integro judicio usus nonnunquam esse mihi videtur. Quum multos libros evolvendos curasset, quanta diligentia materia colligenda et examinanda esset, nonnullis in locis perspectum habuit. Quid enim posteris significare voluit his dictis « et loquitur monumentorum concinens fides »[1] nisi quæ collegisset, se comparavisse? Ceterum non modo ubi inter se scriptores consentiebant, sed etiam ubi inter se dissentiebant, indicavit. « Consentaneum est, inquit, demonstrare geographica perplexitate monstrata quæ diu multa luda et varia tandem repperit veritatis interna »[2]. Hæc omnia satis probant quæ Marcellinus de gentibus continuæ narrationi inseruit, ea non omnino sine cura fuisse conquisita.

Attamen mirari licet quod is, sive acri et accurata rerum documentorumque cognitione adjutum defuerit judicium, sive controversias suæ descriptioni inserere ut ad rem properaret, noluerit, de his quæ ex variis auctoribus asciverat, nihil disceptaverit. Nemo est quidem, ut opinor, qui ab Ammiano tam subtile mentis acumen postulabit, tantamque doctrinam, ut primo aspectu recte perciperet quid in scriptorum sententiis claudicaret, quid valeret. Quis enim nescit nostra etiam ætate multas res a doctissimis viris in ambiguo servari? At auctor, quæ vera aut falsa, aut etiam incerta sibi viderentur, indicare potuisset. Sic, ut exemplis proferendis non abstineam, nos juvet cognoscere quid ipse censuerit de his quæ ad Gallorum originem spectantia retulit[3]. Non dubitavit autem Marcellinus insulsissima nugamenta[4] commemorare quæ de ea re ediderat Timagenes. Atque tantum præmonuit se ejus fidem secutum fuisse, atque « obscuritate dimota » quæ græcus scriptor collegisset, eadem « distincte et aperte » exposuisse[5], nedum quid admittendum, quid rejiciendum esset, lectorem

1. XXII, 16, 13.
2. XXXI, 2, 12.
3. XV, 9, 2.
4. Cf. Ad. Schmidt, *loc. cit.*, p. 53, nota V.
5. *Ibid.*, XV, 9, 2.

doceret. Qua re eo minus excusandus esse mihi videtur, quod Livius in quinto sui operis libro ubi Gallorum transgressum narravit, Herculeum transitum fabulis jam adscripserat[1]. Sed hac culpa aliqua ex parte levabitur, si animadverterimus eum potius lectori cognitu jucunda, poetarum more, proponendi studio, quam nimia credulitate in his referendis ductum fuisse.

Ob eamdem causam, quanquam veritati consentanea vel proxima quadam divinatione et nativo recti sensu selegisse sæpius videtur, tamen eas non indecoras quidem fabulas a Græcis inventas, quæ ad Amazonas attinebant, commemoravit[2]. Quam in sententiam eo libentius eundum puto, quod has fabulas etiam ab aliis scriptoribus gravibus quidem, velut Strabone atque Arriano, relatas reperire licet. Quæ Græcorum et Romanorum animis ita insitæ fuerunt, ut plerique auctores eas rejicere antea non ausi sint[3].

Certe multo magis offendimur eo quod in locis excerptis disponendis et ad suam rem accommodandis nimiam festinationem atque non satis diligentiæ sæpius adhibuit, cujus ex inconsiderata compilandi ratione pæne omnia derivantur vitia quæ in geographicis digressibus reperiri possunt. Unde fit ut incidat in eos errores qui jam prioribus auctoribus sunt objiciendi. Quod deprehendas præcipue in his locis ubi gentium longinquarum situm definivit, sive memoria lapsus sit, sive alios aliis locis fontes adierit. Sic Ptolemæum, in hoc loco ubi Abios ultra mare Caspium posuit, non recte secutus est[4]. Alibi, si Bunbury fides habenda sit, eumdem admisit errorem quem Plinius in eo quod adjunxit populis quorum nomina jam ceciderant, illos qui nuper in imperii romani fines irruerant. Sic, inter Scythas circa Paludem Mæotidem terras incolentes, Melanchlænos, Gelonos, Agathyrsos, jamdiu notos, atque, ut

1. Cf. G. Vossius, *De Theologia gentili et Physiologia christiana*, lib. I, fol. 136, Amsterdam, MDCLXVIII.

2. XXII, 8, 18.

3. Grote, *Histoire de la Grèce*, trad. Sadous, *loc. cit.*, t. I, p. 142, notes.

4. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. XXV, p. 49.

probabile est, delapsos, cum Iazygibus, Roxolanis, Halanis novissime notis falso commiscuit[1]. Hinc illi sæpe accidit ut in diversis libri sui locis idem nomen bis terque afferat, atque nonnunquam a se ipso discrepet. Sic, ni Müllenhoff fallitur, a se ipso dissentit in Halanorum situ notando. Nam, quodam loco Halanos in Europa, alio autem Halanos in Asia collocat[2].

Atque mente prospicio fore ut in aliquot existimatorum reprehensiones incurrat, quod inquirere sæpius omisit, num quæ de externis populis priores tradiderant, ea sua ætate iterum dicere jure posset, novasque regionum institutas divisiones, quarum ratio habenda erat, neglexit. Sic inconsiderate quarto sæculo repetivit de Celtarum Aquitanorumque finibus quæ Cæsar scripserat[3]; de Gallorum habitu et indole, quæ apud Timagenem legerat, vel apud alios auctores Augusto æquales.

Alios hujusmodi errores fortasse deprehendere licet, sed de his non amplius disserendi est locus.

Equidem fateor hæc omnia Ammiani digressionibus aliquid fidei et pretii detrahere. Quod si vero in his erravit, non consulto legentes induxit in errores atque ab omni fallaciæ suspicione longissime abest.

Itaque, quivis judex doctus æquusque, sed non malevolus, ad recte descripta properare non dubitabit, nedum in his erroribus immoretur. Alia enim non desunt in Ammiani descriptionibus quæ nonnullarum gentium accuratam notitiam declarant, sed in his præsertim probabilior est diligentia quæ visa vel tradita retulit[4]. Cujus rei firmissimum argumentum quod afferri possit, id est fere perpetuus consensus ejus cum permultis scriptoribus, qui sua vel paulo seriore ætate eadem tractaverunt. Verum, cum in his conferendis explanandisque, editores et commentatores jam multum operæ atque curæ po-

1. Bunbury, *History of ancient geography*, vol. I, p. 682, note XX, § 31.
2 *Altertumskunde*, 3. Band, *loc. cit.*, p. 86 et 87.
3. XV, 11. Cf. d'Anville, *Notice sur l'ancienne Gaule*, 1760, Paris, p. 8 et 14.
4. Confer Gimazane, *loc. cit.*, p. 233.

suerint, in primis Valesius, Lindenbrogius, Gronovius, Wagnerus, ne merum commentarium scribere videar, nonnulla tantum attacturus sum ex his quæ ad fines, corporis habitum, naturam, mores spectant :

a) Quæ ad fines spectant :

Amm., XXXI, 2, 1.

Hunnorum gens... ultra paludes Mæoticas ... accolens.

Amm., XIV, 4, 3.

Apud has gentes (Saracenos) quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur et confinia Blemmyarum,

Jornandis, *De rebus Geticis*, liber VIII.

quorum natio sæva, ut Priscus historicus refert, in Mæotide palude ulteriorem ripam insedit.

Claud., *De Nilo*, V, 18 et 19.

...populisque salus sitientibus errat]. Per Meroen Blemyasque feros atramque Syenen.

b) Quæ ad corporis habitum spectant :

Amm., XXXI, 2, 2.

Ubi quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempestinus emergens conrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque nulla vetustate, spadonibus similes, compactis omnes firmisque membris et opimis cervicibus, prodigiosæ formæ et pavendi, ut bipedes existimes bestias vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte.

Jorn., *De rebus Geticis*, VIII.

Nam maribus ferro genas secant ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, et sine vetustate ephebi sunt : quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam per cicatrices absumit...

Erat iis species pavenda nigredine sed velut quædam, si dici potest, deformis offa, non facies; habensque magis puncta quam lumina...

Claudian., lib. I, *in Rufin.*, V, 329.

Nec plus nubigenas duplex natura biformes] Cognatis aptavit equis.

C. Sidon. Apollin., *Panegy.*, c. xxii, v. 245 et seqq.

Gens animis membrisque minax : ita vultibus ipsis] Infantum suus, horror inest. Consurgit in arctum

	Massa rotunda caput : geminis sub fronte cavernis] Visus adest oculis absentibus : acta cerebri. . . . . Sic propter prœlia natos] Maternus deformat amor, quia tensa genarum] Non interjecto, fit latior, area naso...
Amm., XXXI, 2, 5. indumentis operiuntur (Hunni) linteis vel ex pellibus silvestrium murum consarcinatis,	**Jorn., l. II.** Hunnigari hinc sunt noti quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium.

c) Quæ ad naturam spectant :

Amm., XXXI, 2, 1. Hunnorum gens... omnem modum feritatis excedit.	**Jorn., VIII.** Hunnorum gens omni ferocitate atrocior. **Paulus, lib. XI, *Monumenta Germaniæ*, fol. 187, 11.** atrocioribus Hunnis.
XXXI, 2, 11. Per indutias infidi	**Salv., *Gub. Dei*, IV, fol. 49.** Si fallat Chunus quid mirum est

d) Quæ ad mores spectant :

Amm., XXXI, 2, 10. (Hunni) absque lare vel lege aut victu stabili dispalantur,	**D. Ambrosius, *Patrol. Migne*, CXI, 603.** quum sine legibus vivant.
XXXI, 2, 8. subito de industria dispersi vigescunt,	**Claud., I, *in Ruf.*, v. 330.** ...acerrima nullo] Ordine mobilitas, insperatisque recursus.
XIV, 4, 3. (Saraceni) sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare sine sedibus fixis.....	**Hieronymus, *Patrol. Migne*, CXI, 330.** Saracenos vagos, incertisque sedibus.....
XXXI, 2, 21. (Halani) Hunnisque per omnia suppares, verum victu mitiores et cultu,	**Jorn., VIII.** Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitatis victu formaque dissimiles.

Hinc perspici potest quam parum ab Ammiano in eisdem

populis describendis dissentiant ii scriptores qui fere ejus ætate vixerunt.

Pro Ammiano adhuc militat ea res dignissima quæ animadvertatur : quo nostra ætate viri doctissimi antiquorum populorum origini, externæ formæ, moribus, religionibus, institutis cognoscendis accuratiorem dant operam, eo magis ejus diligentia, veritatis studium, fides confirmantur[1]. Sed id præcipue mirandum est quod ex ejus digressibus aliquot sententias quas pro erroribus alii habent, alii defendendas esse arbitrati sunt. Sic, auctore d'Anville, Ariorum sedes male locavit Ammianus, quod male intellexit quæ de his scripserat Ptolemæus[2]. Contra, si Gosselin credere velis, non est credibile hæc ex eodem scriptore eum transtulisse[3], nam, si id fecisset, non dixisset « Seras usque ad Indiam porrectos et Gangem », quoniam Ptolemæum totam Scythiam ultra Imaum atque inter hujus amnis caput et Seras posuisse constat.

Sic hanc Ammiani opinionem, videlicet Burgundiones esse « sobolem romanam[4] », quam nonnulli viri errorem habent[5], aliquid veri continere asseveravit Fustel de Coulanges[6].

1. Confer Belloguet, *Ethnographie gauloise*, 2e partie, p. 84-90; 3e partie, *Le génie gaulois*, p. 25; Duruy, *Histoire des Romains*, 1885, t. VII, p. 428; t. VI, p. 41 et suiv.; d'Arbois de Jubainville, *Les premiers habitants de l'Europe*, 1877, livre II, p. 143 et 144; Diefenbach, *Origines Europææ, die alten Völker Europas mit ihren Sippen und Nachbarn Studien*, Francfort am Main, 1861, p. 41; Vivien de Saint-Martin, *Études de géographie ancienne et d'ethnographie asiatique*, t. I, p. 109 et suiv.; Lenthéric, *La Provence maritime ancienne et moderne*, p. 158; Jahn, *loc. cit.*; *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. VIII, p. 410 : *Mémoire sur les divisions que les empereurs romains ont faites de la Gaule en plusieurs provinces*, par de La Barre; Desjardins, *Géographie de la Gaule romaine*, 1878, t. II, p. 201; Wagner, *Comment. in Ammianum*, t. III, p. 35 et 36, ed. Erfürdt.; Müllenhoff, *loc. cit.*, 3. Band, p. 86.

2. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. XXXII, p.576; d'Anville, *Recherches géographiques et historiques sur la Sérique des anciens, Mémoire sur la Sérique*, p. 203.

3. Gosselin, *Recherches sur la géographie systématique des anciens*, Paris, 1813, t. IV, p. 275 et 276.

4. XXVIII, 5, 11.

5. Drapeyron, *De Burgundiæ historia et ratione politica*, thesis, Parisiis, 1869, fo'.; Himly, *Formation territoriale des États de l'Europe centrale*, p. 216.

6. *L'Invasion germanique et la fin de l'Empire*, 1891, p. 440-443.

Ut antea disputata breviter complectamur, Ammianum in his digressionibus quæ ad externas gentes pertinent, conspicuum veritatis amorem prodidisse non est infitiandum. Etenim, is, quanquam suo in Romanorum dominatum atque instituta studio suæque in Græciam pietati nonnunquam indulsit, tamen non jure dicendus est Græcorum Romanorumque cæcus admirator, utpote qui neque barbarorum virtutes, neque civium suorum vitia reticuerit. Idem minime despiciendus est in his quæ visa vel tradita retulit. Quibus in notandis, præcipue nomadum vita, tantam diligentiam atque tam subtile acumen præstitit, ut æqualium seriorumque scriptorum testimoniis confirmata sint quæ scripsit. Contra vero habendum est judicium in his legendis quæ ex prioribus auctoribus petivit. Namque, etsi in nonnullis scriptoribus evolvendis, et aliquot rebus deligendis non defuit diligentia, tamen compluribus in locis, præsertim in his ubi externarum gentium situm commemoravit, rerum auctorumque intelligentem existimatorem sine dubio non se præbuit.

CONCLUSIO

Ut exposita et disputata concludam, non est infitiandum Ammianum in his componendis digressionibus quæ ad externos populos pertinent, legentibusque requiem et diverticula ex longo rerum breviter propositarum transcursu parant, complures auctores in auxilium vocasse. Neque me fugit eum populos jam notos, velut Scythas, Ægyptios, Seras, Sarmatas, Medos, Persas, Parthos, Gallos, et ceteros quos enumerare longum sit, quales veteres ostenderant, plerumque descripsisse.

Is autem, etsi permulta prioribus auctoribus tribuit, tamen non negligenda edidit Ammianea. Equidem scio non eas fuisse ejus doctrinam et ubertatem ut inde plena et perfecta omnium gentium notitia peti possit. Etenim de Gallorum atque aliquot germanorum populorum moribus, religione, disciplinis, institutis quæ Ammiani ætate vigebant, multa sunt desideranda. Contra in iis digressionibus quæ ad alias gentes quoque notas spectant, velut Persas, Ægyptios, Burgundiones, Medos, Thracios, nonnulla reperias quæ ad Marcellinum nostrum esse referenda videntur. Sed præcipue de posteris meruit quod populis fere ignotis qui tunc vagabantur, inspiciendis atque describendis primus incubuit, et aliquot res tradidit quarum memoria fortasse periisset, nisi eas investigasset.

Quam in rem efficiendam tantam humani animi cognitionem, tantum acumen tantamque diligentiam contulit, ut jucunda varietate fere plenæ et exactæ earum imagines exprimantur quæ in mentem altius penetrent. Sed magis quam illa novitas et rerum varietas laudanda est in his descriptionibus fides cum recti honestique studio conjuncta. Ammianus enim,

etsi miles romanus fuit, natura ad omnem virtutem et omne vitium percipienda notandaque ita fuit impulsus ut barbarorum æquus existimator plerumque jure dici possit. Rursus non inficias ibunt quicumque digressiones accuratius perlegerint ubi de populis jamdiu notis agitur, non tantum in materia larga quidem conquirenda, sed etiam in materia examinanda diligentiam, curam, sobrium judicium sæpius defuisse et cuilibet legenti caute esse progrediendum. Atque, ut paucis absolvam, multo minus apud me valet Ammiani scriptoris auctoritas, quam illa auctoritas Ammiani peregrinatoris et investigatoris.

Hinc jam intelligi potest quam et quatenus ad externas gentes describendas expeditus et peritus foret Noster. Id autem manifestius erit cuique conferenti hunc auctorem cum prioribus qui in iisdem rebus versati sunt. Inter quos præclaros quidem viros, haud spernendus locus, ni fallor, ei tribuendus est . Fatendum est quidem eum Straboni esse imparem quod non propositum habuit ostendere quo pacto populorum mores, natura, cælo, situ informarentur atque regerentur[1]. Neque tanta ubertate singulos mores descripsit, ut Tacito et Herodoto sit exæquandus. Complures tamen priores aut fere æquales auctores rerum amplitudine et novitate superavit. Nonne enim ejus descriptiones sunt copiosiores quam illæ Sallustii, Mælæ, Plinii, Q. Curtii, Ptolemæi, Solini, Rufi Festi, ut alios omittam, descriptiones[2]? Sed longius progrediar atque viro jam laudato Vivien de Saint-Martin assentior asseveranti Ammianum habendum esse illum scriptorem in quo creberrimæ notiones aptissimæque ad docendum inveniantur de his populis qui imperium romanum everterunt[3].

1. Cf. Auerbach, *Quid sibi voluerit Strabo*, thesis, p. 89 ; M. Dubois, *Examen de la géographie de Strabon*, p. 201.

2. Vivien de Saint-Martin, *Histoire de la géographie*, 1875, p. 176 et p. 183 et suiv., p. 210; Dosson, *Étude sur Quinte-Curce*, p. 206 et 207; d'Anville, *Notice sur la Gaule ancienne*, préface, p. VI-IX, 1760, Paris; Fustel de Coulanges, *L'Invasion germanique*, ed. 1891, p. 235.

3. Vivien de Saint-Martin, *Études de géographie ancienne et d'ethnographie asiatique*, t. I, p. 109.

Neque minore acumine gentium animos perspexit quam Herodotus et Strabo. In his autem quæ ad gentium habitum et cultum describendos pertinent, priori inferior, posteriori propior, fortasse ducendus est.

Is quidem proprio motu minus fuit impulsus ad disputandum, materiamque examinandam quam Strabo[1]. Sed non multo minus sano integroque judicio usus est quam Herodotus, Tacitus, Ptolemæus. Neque dubium esse mihi videtur quin, ut rerum amplitudine, sic diligentia, fide, veritatis studio, Mælæ, Q. Curtio, Solino præstet. Itaque, ut uno verbo rem expediam, inter illos auctores qui iisdem rebus vacaverunt, Nostrum Herodoto, Straboni, Tacito, investigationum percunctationumque copia, fide, diligentia cedere, sed iisdem rebus ceteros priores auctores superasse censeo.

His explanatis, credo me effecisse id quod mihi proposui, ut illustrarem quantum doctrinæ, ingenii, fidei in gentibus externis inspiciendis et describendis adhibuerit Ammianus, et quibus terminis sæptum fuerit ejus ingenium.

1. Vivien de Saint-Martin, *Histoire de la géographie*, Paris, 1875, p. 166; Dubois, *loc. cit.*, p. 153-162, 333.

CORRIGENDA

p.. 31, linea 1, *lege* : quid suopte
p . 33, linea 19, *lege* : Diodoro

TABULA

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI Idus jan. ann. MDCCCXCVIII.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

ANGERS, IMPRIMERIE DE A. BURDIN, 4, RUE GARNIER.